Studio addictus

EIUSDEM AUCTORIS

— **In Tractatum de Sacramentis in genere et de Eucharistia** — Animadversiones in III p. Summae Theol. S. Thomae — ed. altera.

— **In Tractatum De Deo Uno et Trino** — Animadversiones in I p. Summae Theol. S. Thomae. — ed. altera.

— **Il Veleno Kantiano** — ed. altera.

— **Le XXIV tesi della Filosofia di S. Tommaso d'Aquino approvate dalla S. Congregazione degli Studi.** — ed. altera.

— **L'Assunzione corporea della Vergine Madre di Dio, nel Dogma cattolico.**

— **Principii di Filosofia** — I **Principii di Logica.**
» » » — II **Fisica razionale** (2 voll.).

— **Credo in unum Deum** — Lezioni apologetiche.

— **La distinzione tra l'essenza e l'essere.**

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

GUIDO MATTIUSSI S. I.

WITHDRAWN

* *

IN TRACTATUM

DE VERBO INCARNATO

ANIMADVERSIONES
IN III PARTEM SUMMAE THEOL.
S. THOMAE

(PRO MANUSCRIPTO)
IMPRESSIO ALTERA

ROMAE
EX PONT. UNIVERSITATE GREGORIANA
1925

STUDIO ADDICTUS
HOLY CROSS PROV. OF

Ut nonnullorum Universitatis Gregorianae alumnorum desiderio et postulato fiat satis, iterum in lucem dantur notae hae, quas R. P. Guido Mattiussi anno academico 1912-1913 in commodum suorum auditorum ediderat.

Sciat igitur humanissimus lector hanc novam « Animadversionum » *impressionem nihil a nativo textu differre.*

BQT
507
MAT

IN TRACTATUM
DE VERBO INCARNATO
ANIMADVERSIONES

I. — Notio Incarnationis.

1. — Christianae fidei praecipuum dogma, post assertum Deum Unum et Trinum, illud est quod Filii Dei Incarnationem nobis credendam proponit. Primum de ipso Deo monarchiam praestituit; alterum maximam oeconomiam enunciat, qua fini creatae universitatis assequendo mirabiliter Deo providit. Vetus est haec theologiae partitio; ex qua habemus, omnia quae Dei opus spectant, in Verbo Incarnato, in iisque quae Incarnationem consequuntur, contineri.

Porro hanc fidem Symbolo apostolico, quod creditarum veritatum compendium est, profitemur. Qua ratione constat ab initio aevi christiani doctrinam hanc in Ecclesia Dei explicitam constitisse. Scilicet crediderunt fideles omnes Virum illum, cui Iesu Nazareno nomen fuit, verum esse Deum, non aliud a Deo Creatore, non alium a Patris Filio, quem ut Trinitatis secundam Personam adorare didicimus. Dictum semper fuit: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem creatorem coeli et terrae; et in Iesum Christum Filium eius unicum Dominum nostrum: Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus de Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato...; et in Spiritum Sanctum,* et reliqua. Patet hic Trinitatis Personas ex ordine recenseri, et secundum illas doctrinam fidei esse distributam. At mirum est secundam e tribus humano nomine designari: unum eumdemque in seipso et divina et humana recipere, et Deum verum esse et verum

hominem. Nulli dubium esse potest quominus Patri et Spiritui Sancto Filium connumeremus *in quem,* non secus ac in Patrem et in Spiritum credimus. Hoc ipsum innuit particula *in,* cuius propria vis est ut significet, non tantum nos Deum credere ut fidei nostrae obiectum princeps, atque, ut dici solet, obiectum attributionis; non tantum Deo credere ut loquenti, cuius auctoritas credendi ratio est; verum etiam in Deum credere, illo animi motu qui in finem tendit, in eoque quiescet. Qua ratione Christus dixit: *Creditis in Deum, et in me credite* (Io. XIV, 1). Quod praeclare Augustinus exposuit (in Io. tract. XXIX, n. 6, ML. 35, 1631): *Ut credatis in eum, non* (tantum) *ut credatis ei. Sed si creditis in eum, creditis ei; non autem continuo qui credit ei credit in eum. Nam et daemones credebant ei, et non credebant in eum. Rursus etiam de apostolis ipsis possumus dicere: Credimus Paulo; sed non: credimus in Paulum. Credenti enim in eum qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam. Quid est ergo credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire et eius membris incorporari.* Cf. S. Th. in ep. ad Rom. c. IV, lect. I; et II^{a} II^{ae} q. II, art. II. — Credimus ergo, ut in Deum Patrem, et in Dei Filium. Clarissime id ab initio cognitum fuit; multaque habet S. Irenaeus (adv. haer., l. I, c. IX; l. III, c. XVI), quibus haereticos symboli vim infringere tentantes perstringit ac damnat. Verum ut contra grassantes errores veritatem solemni ritu Ecclesia Dei profiteretur, primaevo Symbolo multa adiecit, quibus Iesu Filii Dei divinitas assereretur. Ea sunt quae in Symbolo nicaeno sacris operantes recitamus, quibus Arium eiusque asseclas refellimus, dicentes, nos credere *in Iesum Christum Filium Dei Unigenitum, ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri.* Horum singula tuendae veritati sufficiunt: cuncta simul manifestissime perspicua sunt, illi cui Iesu nomen est divinitatem ipsam Patris asserendo.

Hoc autem nomen, nomen hominis est; illi datum fuit qui putabatur filius Ioseph, qui vere de Maria Virgine natus est, qui in Galilaea et in Iudaea tempore Augusti ac Tiberii Cae-

saris ceterorum hominum consuetudine vixit, qui sub Pontio Pilato Iudaeam gubernante morti traditus est; qui tamen tertia die resurrexit, ac deinde, elapsis quadraginta diebus, visibiliter e terra discessit, coelum versus ascendens. Haec profecto non nisi homini convenire possunt; etsi ex his posteriora praesertim virtutem divinam adiunctam ostendunt. Non minus igitur verus homo quam verus Deus, ille cui Iesu nomen est, a nobis sive ab Ecclesia firmissime creditur.

Sed etiam procul dubio unus omnino ille est, et non divisus est Christus. Ille idem qui ut Filius Dei atque ut verus Deus adoratur, Ille inquam idem est qui natus dicitur e Maria et qui passus et qui mortuus est, qui deinde resurrexit atque adscendit ad coelos. Non potuit perfecta unitas, sive personae identitas, efficacius enunciari, quam illa sermonis continuitate, quae in Symbolo adhibetur; et magna est in hac re vel unius nominis Iesu significatio, vel pronominis *qui* proprietas, qua unus et idem et ante saecula a Patre genitus et in tempore natus et mortuus iterumque a morte liber enunciatur. Nec minor est graeci sermonis evidentia, ubi loco pronominis participia adhibentur, quae eidem aeterno Patris Filio nativitatem humanam et reliqua tribuunt. Quo pacto Symbola catholica a vetustissimis Patribus intellecta ac declarata fuerunt. Quamobrem negavit Ephesina Synodus (a. 431) aliam fidei professionem, contra Nestorium, qui Hominem a Deo in Christo secernebat, esse scribendam praeter nicaenam, qua Christi unitas plenissime exprimebatur (D. 125). Tamen in eandem nicaenam symbolum vox *unum,* Iesu Christi nomini addita, inducta fuerat, ad errores orientalium depellendos, qui post Cerinthum unitati personae opponebantur; forma vero romana, quia nulla in Urbe haeresis ortum habuit, nullam additionem accepit (Rufinus, Comment. in Symb. n. 3; ML. 21, 339). Est igitur veritas fidei christianae precipua, quod idem unus Iesus Deus est et homo est, ea perfecta unitate qua liceat et necesse sit eidem tribuere quae sunt divina et quae sunt humana; ac Dei Filius natus sit e Virgine Maria, passus et mortuus sit; ac Virginis Filius sit ab aeterno Deus in sinu Patris.

2. — Hoc est christianae religionis magnum mysterium, fide credendum, theologico studio evolvendum. Tria capita in hoc uno dogmate iuvat distinguere: *primo* homo ille cui Iesu nomen est revera Deus est; *secundo*, integra in illo est humana natura: *tertio* in unum subiectum praedicationis, ac proinde in unum suppositum, seu demum in unam personam, convenit utraque natura, divina atque humana. Vel simplicius: In eodem Iesu perfecta divinitas, perfecta humanitas, perfecta unitas, non naturae sed personae, asserenda sunt.

Triplex hoc caput multis haereticorum deliramentis occasionem praebuit. Non omnes sane errantes, sed praecipuos quosdam hic numerabimus.

Ebionitae e iudaeis christiani, ac deinde *Cerinthus* e Gnosticis, iam a primo saeculo, non aliud esse quam hominem Iesum voluerunt. Contra illos Ioannes Apostolus Evangelium scripsit: minime sane, ut modernistae autumant, quia tunc nova opinio ipsi Christo divinitatem tribuens efformata erat, sed potius ne antiqua fides quae Christum Deum agnoscebat, minueretur. — Ex iis vero qui in agnoscendo supra humanam naturam aliquo superiore spiritu ad Christum pertinente consenserunt, errarunt iterum Gnostici plures, Aeonem quemdam secundum scholam alexandrinam illum reputantes; erravit *Arius* praeponendo utique illum omnibus creaturis, sed et illum revera e nihilo ductum exsistimans, nequaquam a Patre genitum eique consubstantialem.

Contra, eos inter qui divinitatem Christi minuere nolebant, errarunt *Docetae* seu *Phantasiastae,* qui fictam humanitatem putarunt, et apparentem solummodo; vel carnem e coelesti substantia deductam, non a Maria sumptam, dixerunt. Circa ipsam humanam animam, *Apollinaris* ep. Laodicensis dixit eam in Christo intellectu caruisse, quippe pro mente illi Verbum erat; *Sergius* patriarcha constantinopolitanus voluntatem abstulit, ne esset in ipso Christo oppositio; nonnulli etiam totam animam penitus negarunt, cuius loco Divinitatem esse commentati sunt. Aliquis tandem corpus et animam, ne scilicet persona evaderent, seiunctim exsistere censuit.

At de ipsa naturarum unione celebriores haereses exstiterunt. Erravit imprimis *Theodorus*, quem maiori fama Nestorius sequutus est: ex quorum sententia hominem Christum Dei Filius inhabitavit, unione scilicet sanctitatis ac dilectionis, cum perfecte in omnibus regendo, illi suam voluntatem ac virtutem communicando: duae igitur personae fuissent Dei Filius et Iesus. Iis accesserunt saec. VIII *Adoptiani*, quorum magister fuit *Elipandus* ep. hispanus, Mariae filium ponentes Dei filium adoptivum. Accesserunt etiam qui media aetate negarunt humanitate Christi personam constitui, quippe quae sui iuris non esset; subsistere tamen per se eamdem substantiam, ut quodcumque singulare suppositum. E diametro oppositus fuit error *Eutichetis*, qui in unam naturam Christum coalescere arbitratus est, vel Divinitate humanitatem absorbente, sicut oceanus diluit guttam; vel humanitate ad modum quemdam divinum evecta; vel quadam mixtione e duobus facta: cuius commenti explicatio quaerenda non est, quia absurdum est omnem intellectum fugiens. *Monophysitae* hi appellati sunt; iique *Iacobitarum* nomine a saec. VI in Syria degunt, et Copticam ecclesiam in Aegypto et Armenam veterem perverterunt.

Modernistae prioribus incredulis seu paganis accedunt: omne enim mysterium abnegant, ac Iesum a christianorum admiratione Dei nomen accepisse ferunt, eoque nomine donari tantum posse, quia melius quam ceteri homines Deum Patrem sensit et nobilius nos Deum propinquum agnoscere docuit. E protestantibus denique vix superest qui vere Christum Deum fateatur.

3. — Pro veritate edicti mysterii contra errores omnes nobis agendum est. Praecipua pars doctrinae, quae nempe formaliter incarnationem exponit et vindicat, ipsam unionem duarum naturarum, sive unitatem personae in duabus naturis respicit. De hac vere optime Auctor noster Emus Card. Billot, partis I^ae^, cap. II. II^am^ q. III^ae^ p. illustrans: sequemur illum. Quod spectat ad naturam assumptam, vix videtur disputationi locus esse: patet enim ex certissima historia et ex ingenti opere quod exstat, nempe christiana Ecclesia, vixisse hominem Iesum Nazarenum: erunt tamen aliqua perpendenda ex peculiari con

ditione illius humanitatis Verbo Dei coniunctae, et aliqua adversus haereses asserenda: et in his A. sequemur. At ex certissimis documentis accepta ipsius Iesu a Nazaret historia, idem ille Iesus agnosci debet ut Deus, idque certe non nisi a divina revelatione per fidem accipere potuimus. Hoc videtur esse ponendum nostrae tractationis exordium. Non inde initium accipit praecipuus Doctor noster, s. Thomas, cuius ordinem rite servat emus commentator Billot. Supponit enim ille quod habet communis Ecclesiae fides; iam novit Deum esse incarnatum, idque ad nos redimendos sive pro nostra salute factum fuisse. Tantum opus non sine magna divinae sapientiae ac bonitatis ostensione patratum fuisse docet; deinde eius rationem ac modum penitus inquirit. Ordo idem nobis competeret, si controversia omnis contra errantes ad alios pertineret. At mos invaluit ut theologus scholasticus idem ab initio subiectum assereret, de quo sibi agendum est. Ergo Iesum non solum hominem fuisse, sed simul Deum, nobis ostendendum ab initio: quo pacto id fieri potuerit, vel qua ratione intelligi debeat, erit deinde quaerendum, cum in ipsam naturarum unionem inquiremus. Verum et hoc ipsum, quod Iesus sit Deus, alumnis huius magni Lycaei, aliqua ex parte declaratum fuit; prouti nimirum in tractatione ad theologiam prolegomena Christum ut Dei legatum egisse ac loquutum fuisse, cuius proinde testimonio de seipso credere oportet, ostensum est. Porro Iesus se Deum esse diserte asseruit. Hoc igitur nobis credendum proponitur.

Accipimus ergo Ecclesiae fidem, quam in Symbolo profitemur. Quomodo vero et quo ordine Christi divinitas revelata fuerit, iuverit quaerere et agnoscere. Loquutus est Deus per prophetas; ipse Dei Filius suo ore de se notitiam promere dignatus est; ab illo per Apostolos Ecclesia veritatem didicit; Scripturam habemus ac Traditionem. Primo igitur paucis dicemus (plura apud auctores, apud Petavium et apud Franzelin invenies) qua ratione in Scripturis universis eadem veritas asseratur. Animadvertimus tamen integram revelationem ipsa Scriptura ampliorem fuisse: viguit enim ab Adam usque ad Moysen religio sine scripto, multaque de anima immortali deque spe

aeternae vitae omnis temporis fideles necessario noverunt, quae non explicite in vetustis Bibliis dicta inveniuntur; quaeque Machabaeorum puerorum mater iis dicebat ostendunt divinam traditionem veritatum, quibus credentium spes erigi semper debuit. Postulabat autem Veteris Legis, prout novam parabat, oeconomia, ut sub figuris et sensibilibus signis spiritualia exhiberentur: hinc eorum deceptio qui nihil factum antiquitus vel cogitatum existimant, praeter ea quae disertis verbis edicta sunt. Atqui mutati rerum ordinis ratio habenda est.

4. — Qua vero dispositione Iesu Christi revelatio facta sit, quum sit ille fidei nostrae auctor et consummator, et sit opus omnium saeculorum, ex universa religionis historia colligendum est. De hoc habes apud Emum Billot thesim LVIII. Scilicet quaecumque ad veterem religionem spectabant ita a Deo disponebantur, ut vel futurum Salvatorem promitterent, quod primo oraculo post lapsum priorum parentum inceptum est; vel figuris Eundem adumbrarent, quarum Abel a Cain fratre occisus initium fuit; vel prophetice enunciarent eiusque imaginem pingerent, ac fere historice quae ad Illius vitam pertinerent enarrarent, vel toto cultu, sacrificiis, sacramentis, sacerdotio, ut a Moyse praescriptus fuit, futurae redemptionis effectus exprimerent. — Quaeri tamen potest utrum antiquus populus qui in Deum credebat, quique magnum Regem Messiae titulo expectabat, Eumdem fore Dei Filium, non utcumque, at plena nominis vi, prout christiani intelligimus, atque in Symbolo profitemur, compertum haberet. Respondemus idem de hoc esse dicendum quod de mysterio Trinitatis. Non id noverat communiter ea gens, quae Dei unitatem cum personarum pluralitate ac proinde cum Messiae divinitate componere nescivisset; — putandum est id notum fuisse sanctis et prophetis maiore lumine donatis, cuius rei habemus in Bibliis non pauca indicia. — Cum vero Christus advenit suamque Ecclesiam adunare coepit, ex Evangelio constat Dominum Iesum clare se Deum verum asseruisse; quamquam non aperte hoc discipuli perspexere ante Spiritus adventum. Cum vero Spiritus docuit illos quae dixerat Iesus, certa et perspicua fuit cognitio divinitatis

Iesu ipsius: et non est putandum exspectatam fuisse Scripturam, ut inde Ecclesia disceret quis esset Auctor et Sponsus suus; sed fidem, ex verbis Christi et Spiritus Sancti gratia iam in Ecclesia vigentem, scripta Evangelia et ceterae apostolorum literae illustrarunt, auxerunt. — Haec inquam animadvertere volui, quod spectat ad revelationis historiam, sive ut sciamus quo ordine notitia universae doctrinae, quae praesertim Christum respicit, divinitus tradita fuerit. Eaque traditio, infallibili Ecclesiae magisterio ad nos usque continuata, satis nos de veritate credenda certiores faceret. — Si vero praeterea quaeritur qua ratione e Scripturis rite intellectis eadem veritas de Christi divinitate erui possit, dicimus: *In N. T. perspicue ac diserte eam contineri; in Veteri autem, si seorsim accipitur, satis clare; si vero cum Novo componitur, sub lumine sequutae revelationis clarissime tradi.*

5. — Satis patere supponimus ex prolegomenis ad theologiam Iesum se ut Messiam prodidisse, eumque vere universali exspectationi eius qui mittendus erat, respondisse. Contra hoc nihil valet deceptio Iudaeorum, qui regem humano more gloriosum praestolantes, et prophetas qui primum Salvatoris adventum in humilitate praedixerant negligentes, illum agnoscere noluerunt. Ceterum magnam fuisse Salvatoris exspectationem quo tempore Iesus advenit, constat ex libris apocryphis quibus tunc multi de ea re sua somnia protulerunt; constat ex responsione Magis data Hierosolymis, atque ex verbis quae mulier Samaritana dixit: *Scimus quia Messias venit.* Cf. de his opus p. Lagrange *Le Messianisme.*

Ipsi Iudaei, qui vetera Biblia tantum spectant, certi esse deberent iam advenisse Messiam. — Promisit enim Iacob morti proximus non esse omnino a domo Iudae potestatem recessuram, donec veniret qui mittendus erat, exspectatio gentium (Gen. XLIX, 18): porro ab ea domo iamdudum omnis potestas recessit. A Daniele habemus sub multiplici imagine quatuor imperia exhiberi, quorum postremum, ac praevalidum, parvi lapidis divinitus a monte exsecti et in montem toti orbi conspicuum excrescentis, mira virtute evertendum fuit. Atqui

constat et quatuor imperia tempus exegisse suum, et quartum, scilicet romanum, christiano imperio locum cessisse. Praeterea constat ex sermone Gabrielis qui prophetam est alloquutus (Dan. IX, 23-27) tempus assignatum fuisse a secunda templi exstructione ad prophetiae adimpletionem, sive exspectatam redemptionem, ita ut media septuagesima hebdomada sacrificium, quo salus mundi obtineretur, esset offerendum. Quidquid sit de obscuritatibus recenter a criticis additis, non ostendetur absurdum quod a pluribus historiae doctissimis exsistimatum est: plura scilicet edicta de erigendo iterum templo prolata fuerunt, at efficax fuit quartum dumtaxat, anno vicesimo regni Artaxerxis Longimani: cuius regni initium anno fere 476 a. C. fuisse colligitur e multis quae supersunt de fuga Themistoclis ad eumdem regem novensilem; fuit autem illa fuga a. 474. Edictum post viginti annos incidit fere in a. 456; bene hinc septuaginta annorum hebdomadis ad tempus mortis Christi devenimus. At licet accurata annorum supputatio difficilis exsistat, certum est ex verbis Angeli ad prophetam de Christo fuisse sermonem, ac mensuram temporis assignari quae iamdudum elapsa est: secus Danielis solamen, quod tamen enunciabatur, nullum et irrisorium fuisset. — Constat idem ex Aggaei promissione (II, 7-10), ubi dicitur: Haec dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum est, et ego commovebo coelum et terram et mare et aridam. Et movebo omnes gentes: *Et veniet Desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria.* Scilicet post reditum ab exilio querebantur senes de nulla pulchritudine novi templi, antiquo comparati. Solatur illos Dominus, maiorem praedicens alterius templi gloriam, quia ad hoc veniet *Desideratus cunctis gentibus,* scilicet Messias. Atqui et alterum templum iamdudum eversum fuit. — Idem ex Malachia colligitur (III, 1 seqq.).

6. — At evidenter ex N. T. ostenditur advenisse Messiam, eumque Iesum a Nazareth fuisse, propter abrogationem antiquae Legis. Ex tota enim Scriptura patet Legem Mosaicam novae Legis fuisse praeparationem, quod multis s. Paulus evolvit, epist. ad Galatas et iterum ad Hebraeos (c. VII). Cf. I^{am} II^{ae}

q. XCIII. — Peculiari evidentia habemus locum Ieremiae (XXXI, 31): *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Iuda foedus novum; non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum... Sed hoc erit pactum: dabo legem meam in visceribus eorum* etc. Sic Deus enunciavit abrogationem futuram antiqui foederis; hoc autem templo connexum erat, in quo unice licebat sacrificia offerre. Templum autem eversum est, pactum abolitum; facta est mutatio, quam Messias debebat adducere, prout etiam ex ep. ad Hebr. (X, 16; VIII, 8) evidens est. — Iterum quod promittitur apud Isaiam (LXVI, 18-22), ex gentibus esse congregandos Dei cultores; cui respondet promissio Malachiae Sacerdotes ex iisdem gentibus assumptum iri, quo abscissio veteris pacti ac templi repudium continetur, manifeste per Iesum completum est. — Ergo si stent Iudaei suis Bibliis, et haec si intelliguntur prout illa s. Iustinus in suis Apologiis et in dialogo cum Triphone intelligebat, vel prout Patres universim interpretati sunt — missis recentioribus tricis, quas prosequi infinitum est, — immo prout eadem Biblia veteres Rabbini, nondum habentes unicam legem christianos refellendi, manifestum est et Messiam venisse eumque Iesum Nazarenum fuisse. — Et Ille enim venit quo tempore domus Iudae Romanorum dominio penitus cessit; et Ille venit ad templum paulo ante irreparabilem eversionem iudaeorumque dispersionem; et Ille, vetere pacto rescisso, instituit novum, quo ex omnibus gentibus Ecclesia colligitur; neque lex amplius lapidibus insculpta, sed per Spiritum Sanctum et per sacramenta quae gratiam conferunt, cordibus infusa est.

7. — *Porro eumdem Messiam ex locis pluribus V. T., vel absolute acceptis, vel saltem a N. T. illustratis, Deum esse evincitur.*

Loca plura sunt; quaedam seligimus.

Occurrit primo Ps. II v. 7: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie genui te.* — Psalmum esse messianicum concedebant veteres rabbini, e quibus Iarchius quidam scribit: Maiores nostri ad regem Messiam hunc psalmum totum referebant: oportet autem eum referre ad Davidem, propter haere-

ticos, i. e. christianos. — Consentiunt exegetae omnes. Constat ex allegationibus Novi T., ubi ad ex. christiani in persecutione hierosolymitana agnoscunt compleri quod in eo psalmo dictum fuerat de principibus adstantibus contra Christum (Act. IV, 25-27); ubi etiam Paulus (Act. XIII, 33) Iudaeos alloquens assumit locum ut clare ad Messiam pertinentem et pariter in ep. ad Hebraeos (I, 5): *Cui enim dixit angelorum: Filius, meus est tu?* — Atqui ipsi Christo hic divinitas tribuitur. Non enim aliter quam si Deus vere est, Filius Dei sine addito ac diminutione dici potest. Neque alius quam Deus aeternaliter gignitur, ita ut semper gignatur et semper sit genitus. — Quibus ex textu hebraico additur quod ubi nos legimus: *Apprehendite disciplinam* etc., scriptum videatur: *Adorate Filium, ne ipse irascatur: beatus qui confidit in illo.* Atqui et adoratio et fiducia quae in Scripturis beata dicitur, uni Deo reservantur.

Obiectio peculiaris sumitur ex eo quod Paulus videtur iis verbis uti (Filius meus es tu etc.) ad probandum Christi sacerdotium (Hebr. V. 15), et ad probandam resurrectionem (Act. XIII, 32). — Sed respondemus in ep. ad Hebr. textum afferri indirecte tantum, ut pateret quis Christo dignitatem contulerit, nempe qui Illi dixit: *Filius meus es tu.* In Actibus vero appellat Paulus ad locum illum ut ostendat resurrectionis necessitatem, prout non poterat morti subiacere ille quem Deus suum Filium dixit. — Simili ratione locum Ps. CIX: *Ex utero genui te* aliqui Patres referunt ad uterum Virginis, prouti effecit Deus ut Filius suus a Virgine conciperetur. Sed est aliqua connexio veritatis, non prima textus significatio: decebat ut si Filius Dei in humana natura ortum haberet, a Virgine nasceretur. Potest denique dici *Ego hodie genui te* de Christi resurrectione ac de Christi sacerdotio, prouti aeterna generatio ad Deum redivivum atque ad Deum sacerdotem in die incarnationis vel in die resurrectionis terminata est.

Pari autem argumentatione ex Ps. CIX: *Dixit Dominus Domino meo* etc., quem Christus ipse pharisaeos alloquens ad se retulit, eiusdem divinitatem atque aeternam generationem arguere possemus.

8. — Habemus secundo lòcum Isaiae: *Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius, et vocabitur nomen eius: Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium et pacis non erit finis: super solium David et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia, amodo et usque in sempiternum* (IX, 6-7). — Singula haec ad Messiam atque ad regnum sine fine ab Illo statuendum evidenter pertinent. Ille est hic puer quem supra Deus (VII, 14) pollicitus est, quique erit nobiscum Deus, Emmanuel; quem Salvatorem contra hostiles incursus c. VIII vates edicit: cuius tandem regnum c. XI describetur. Porro absque dubio ille dicitur Deus. Non modo relate ad nos ut Dei auxilium, Emmanuel, at simpliciter nomen habet Dei. — Qui obstiterunt, non ad Messiam referri hoc nomen voluerunt contendere; at evidenter textum corrumpentes. Non secus ac dicitur Ille admirabilis, fortis aliaque id genus, dicitur absolute Deus.

Obiiciunt Deum (Iahve) etiam vocari Angelum qui apparuit in Sinai et loquutus est Moysi. — Dicendum Angelum illum dici ut Missum Patris, ipsi Filio qui carnem olim assumpturus erat totum sermonem tribuendo, vel ponendo in nomine Dei ipsius angelum etiam creatum loquutum fuisse. — Item duo Angeli qui, praeter primum, Abrahae apparuerunt, personam secundam et tertiam Sm̃ae Trinitatis ex Augustino ferebant. Nec nisi relativa quadam imagine Moyses dicitur *Deus Pharaonis* Ex. IV, 16 et VII, 1. Neque iterum aliter quam ad exprimendam potestatem in multos populos Nabucodonosor vocatur *Deus gentium* apud Ezechielem (XXXI, 11), ubi in Vulgata bene redditur *fortissimus gentium* quod hebraice dicitur *El goím*.

9. — Alius locus est apud Ieremiam: *Ecce dies venient, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum, et regnabit Rex et sapiens erit et faciet iudicium et iustitiam in terra. In diebus illis salvabitur Iuda, et Israel habitabit confidenter; et hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus iustus noster* (Iahve, iustitia nostra) (XXIII, 5-6; iterum XXXIII, 14-16). — Evi-

denter hic characteres exponuntur perpetuo in Bibliis Messiam designantes: germen David, auctor pacis et iustitiae, et ita porro. Idem vero asseritur Deus. Vocari enim est Scripturae usu idem ac esse. Praeterea assignatur illi munus salvandi et iustificandi, quod uni Deo tribui potest; sicut dicitur Is. XXXV, 4: *Deus ipse veniet et salvabit vos* et XLV, 15: *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator;* et alibi item.

4) Praeterea in textu Michaeae, quem Scribae Magis recitarunt, ut locum nativitatis exspectati Regis designarent, legimus: *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit Dominator in Israel, et egressus eius ab initio a diebus aeternitatis* (X, 2). Iamvero haec postrema verba, nisi iniuria torqueantur, clare innuunt ante nativitatem Dominatoris Israel in tempore, aliam eiusdem fuisse ab aeterno: ex utero ante Luciferum genui te.

10. — At evidentior est ipsius V T. affirmatio, si textus inde accepti, in N. T. afferuntur et exponuntur. Validius certe contra haereticos quam contra Iudaeos Divinitatem Christi ex Scripturis asserere possumus. Quamquam Iudaeos eo refellere valemus, quo ex prophetiis ostendimus certe Messiam dudum advenisse, eumque Iesum Nazarenum fuisse: facile deinde divinitatem evincemus.

Habemus Numerorum c. XXI (5-6) immisisse Dominum (Iahve) in populum murmurantem ignitos serpentes. Paulus vero in I ad Cor. (X, 9): *Neque tentemus,* inquit, *Christum, sicut quidam eum tentaverunt et a serpentibus perierunt:* idem igitur qui serpentes misit, qui Deux ex V. T. profecto fuit, teste Paulo Iesus est: ergo Iesus est Deus.

Ego sum Dominus Deus tuus, dicitur in l. Exodi (XX, 2), *qui eduxi te de terra Aegypti.* Et iterum Deuter. XXXII, 12: *Dominus solus dux eius fuit et non erat cum eo deus alienus.* Et apud Iob (IV, 18): *Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem,* quae omnia profecto ad unum Deum spectant. Iamvero in epist. Iudae Ap. ad Christum referuntur, itemque in ep. II Petri (II, 4). *Iesus,* ait s. Iudas, *populum de Aegypto solvens, secundo eos qui non crediderunt*

perdidit; angelos vero qui non servaverunt suum principatum in iudicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit (v. 5-6). Iterum quae in V. T. Deo tribuuntur, ipsi Iesu tribuuntur in Novo.

Docet Paulus (Hebr. I, 8) verba psalmi XLIV: *Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi,* etc. ad Christum Filium Dei dicta fuisse. Et ita patet verbum illud *Deus* apud Paulum ipsum vocativum esse, quo Christus compellatur ac Deus asseritur. Ceterum non nisi absurde diceretur Deus alicuius sedes. — Iterum verba Ps. LXVII, 18. 19: *Currus Dei decem millibus multiplex... Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus,* assumit Paulus (Eph. IV, 7-9) ac de Christo dicit.

Assumitur quoque Ps. XCVI, quo mirabilis apparitio Dei describitur in orbe terrarum: *Dominus* (Iahve) *regnavit, exsultet terra... Confundantur qui adorant sculptilia. Adorate eum omnes Angeli eius,* etc. Atqui Paulus l. c. ad Hebraeos ea cuncta ad Christum refert: *Et cum introducit primogenitum suum in orbem terrarum, dicit: Adorent eum omnes Angeli eius.* Ibidem Paulus de Christo recitat Ps. CI, 26-29: *Initio tu Domine terram fundasti.* Quis nisi Deus?

Magnam Dei visionem habuit in anno mortis Oziae regis Isaias, quam cap. VI describit: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum... Seraphim stabant super illud... Et clamabant alter ad alterum: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum.* Inferius autem excoecationem populi Dominum non audientis praedicit. — Atqui utrumque ad Iesum referri nos docet Ioannes (XII, 37 seq.), ubi narrat iudaeorum pervicaciam, idque ab Isaia praedictum asserit: *Haec dixit Isaias quando vidit gloriam eius et locutus est de eo.*

Simili modo locus Apocalypsis: *Ego sum primus et novissimus;... Ego sum* α *et* ω, *principium et finis,* etc. (I, 8) respondet omnino verbis Isaiae: *Ego Dominus* (Iahve) *primus et novissimus* (XLI, 4).

Dominum sanctificate, dicitur Is. III, 13: *Et erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis et in petram scan-*

dali duabus domibus Israel: in lapidem et in ruinam habitantibus Ierusalem. Haec vates de Deo Domino exercituum; haec eadem de Christo Lu. II, 34, ad Rom. IX, 33; I Pe. II, 7.

Dicitur tandem apud Malachiam: *Ecce ego mittam Angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam* (III, 1). Qui sic loquitur apud prophetam est ipse Iahve, unus Deus. Atqui per Evangelistam (Mc. I, 2), immo per Christum ipsum loquentem apud Matthaeum (XI, 10) angelus ille Baptista est, qui praecessit Iesum. Ergo Iesus ipse est Deus. — S. Ignatius autem nomen Isaiae hic irrepsisse apud Marcum loco Malachiae, vel ex mendo librariorum, vel eo quod totus liber prophetarum ab illorum primo denominaretur. Primam solutionem s. Hieronymus innuit, alteram P. Patrizi (de Evang. l. III, diss. XLV, n. 15). — Ceterum apud Isaiam legitur: *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini,* etc. (XL, 3): eademque verba ad Christum Dominum referuntur in Evangeliis: Mt. III, 3; Mc. I, 3-4; Lu. III, 4; Io. I, 23.

11. — Per haec quae attulimus certum nobis est in V. T. Christo Divinitatem assertam fuisse. Non tamen veritas ab omni dubitatione fortasse eximeretur, ni vis propria et significatio antiquae Scripturae per novam pateret. At Novum Testamentum per se plena luce nitet, et in Evangeliis et in ceteris Apostolorum canonicis literis Christum Deum omnino dici perspicuum est. Neque in hoc Evangelia synoptica a quarto seiungimus, etsi fatemur in hoc postremo illustriorem esse doctrinam. Verum et nobis theologis, non apologetis, nullam esse dubitandi causam putamus, quominus quartum evangelium et Ioanni apostolo tribuatur, et prorsus ut historicum accipiatur. Immo eas notas accuratae narrationis et adiunctorum loci ac temporis illud evangelium prae se fert, ut eius scriptor, magis quam alii, testis ocularis et pars eorum quae narrantur appareat.

Porro dicimus: *In N. T. divinitatem Iesu Christi multipliciter asseri, tum quia Filius Dei sensu maxime proprio nominatur, tum quia Illi quae sunt Dei maxime propria tribuuntur, tum quia nomine Dei strictissima significatione accepto Ille designatur.*

— *a*) *Primo* quidem innumeris locis, a Patre cuius vox audita est, ab Angelo Mariae vel Ioseph apparente, a Se de Se loquente, ab Apostolis, *Filius Dei Iesus appellatur:* non sicut quicumque magnus Sanctus vel Propheta vel Rex dici potuit, at singulari prorsus modo: ὁ υἱός, Filius verus, Filius unice dilectus, Filius Unigenitus qui est in sinu Patris. Atqui hoc, non creatione, non sanctificatione, non adoptione ulla, explicatur; sed tantummodo per veram generationem, qua eadem Divina Natura communicatur, ver. potest intelligi. Lege de hoc s. Th. in IV C. G. cap. VII, quo haeresis Arii reprobatur, et veritas plene patebit. Illud hic exscribere longum est, fac habeas, lege ac disce.

Frustra autem obiicitur ex Scriptura, quod de Salomone promittit Deus: *Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in filium.* (2 R. VII, 14). Certum enim est non in se adeo excellentem Salomonem fuisse, ut filius Dei esset, magis quam David vel Moyses vel Angeli; sicut igitur de magnitudine et gloria regni illius plura in Bibliis dicuntur, quae veritatem habent dumtaxat si ad Christum referentur; non enim Salomon imperium obtinuit ab Ortu ad Occidentem, neque in omnia saecula: ita et Filius Dei dictus est prouti typum gerebat Christi. De quo, dubium omne excludit Apostolus (Hebr. I, 5), ea verba directe ad Christum referendo. In uno Iesu igitur vera sunt; in Salomone, eo tantum titulo quod Christi figuram in se gerebat, quippe Salomon *Rex pacificus* est. Ita fere lignum Crucis adoramus, non per se spectatum cultu absoluto, sed ut ad Christum pertinet, cultu relativo. Ceterae obiectiones de filiis Dei facilem solutionem habent.

12. — *b*) *Secundo: Christo tribuuntur passim in Scriptura quae omnino Dei sunt propria.*

Scriptura enim refert ante omnia ut verba certissima, verba ipsius Christi, qui se Patri comparat, ut illi a quo accipit utique quidquid ipse est, cum sit vere Filius; ita tamen ut omnia prorsus habeat quae Patris sunt, et cum ipso Patre sit unum: *Omnia quae habet Pater mea sunt* (Io. XVI, 15). *Ego et Pater unum sumus* (Io. X, 30): quo nihil evidentius et brevius dici

potuit ad asserendam simul personae distinctionem, substantiae unitatem.

Eodem redit s. Pauli doctrina, qui, ut Philippenses ad humilitatem hortetur, Christi exemplum proponit: *Qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo* etc. (II, 6-7), locus notus est. Ea priora verba sic interpretantur recentiores quidam, ut significent Christum parvipendisse sibi debitum honorem divinae maiestatis, neque hanc gloriam custodivisse, sicut custoditur thesaurus cupide abreptus. Veteres intellexerunt non iniustum quid Christum tribuisse sibi quod ut Deus honorari vellet, quia reipsa in forma Dei erat, sive est vere Deus. In idem recidunt utrique, atque ad nos pertinet certissima assertio, Christum, qui in forma hominis apparuit, sive in humana natura, Eumdem in divina natura praeexstitisse. Frustra Ariani de sola imagine interpretati sunt: eadem vox *forma,* utrobique naturam significat. Frustra etiam negare ausi sunt Christum voluisse sibi sumere ut esset aequalis Deo. Omnino e verbis Pauli id non eruitur. Iterum frustra intellexerunt: Cum minor esset Deus, noluit ut sibi aequalitas tribueretur cum magno Deo. Irridet arianis Chrysostomus cum Theodoreto et aliis: non enim esset humilitatis exemplum, quod Paulus miratur. Sed prorsus aliud verba dicunt.

Praeterea Christo asseritur omnis perfectio. *In ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter:* i. e. substantialiter (ad Col. II, 9). — Asseritur omnis scientia; sunt enim in Illo *omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi* (ad Col. II, 3), quod penitus verum est secundum Divinam naturam. — Asseritur aeternitas, ubi Christus de se dicit: *Antequam Abraham fieret, ego sum* (Io. VIII, 58), et ubi ait: *Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus esset apud te* (Io. XVII, 5). — Ariani contendunt utique Iesum fuisse apud Patrem ante mundum, sed minime absque initio. Sed aeternitas ipsa designatur in Scripturis per ea verba quae ibidem Christus adhibet *ante mundi constitutionem.* Quod si Iesus ipse ante cetera *creatus* fuisset, et ipse ad mundum pertinuisset. — Sociniani voluerunt aeternam illam claritatem ad praedesti-

nationem referre. At primo hoc omnibus sanctis commune fuisset; Iesum autem aliquid singulare hic sibi vindicat. Secundo, non possedisset Iesus id quod tantum in mente Dei fuisset; nam praedestinatio formaliter nihil ponit in creatura. Per se ipsum ergo Iesus ante mundum exstitit. — Asseritur etiam illi immensitas, quum ipse Filius hominis qui in terris degebat dicatur esse in coelis (Io. III, 13); et ille promittit fore se ubi duo vel tres in eius nomine conveniant. — Tribuitur illi operatio Dei propria, sive in creatione: *In ipso condita sunt universa in coelis et in terra, sive Throni sive Dominationes: omnia per ipsum et in ipso creata sunt* (Col. I, 16); *Qui portat omnia verbo virtutis suae* (Hebr. I, 3); sive in sanctificatione, remittendo peccata et vitam aeternam conferendo (Io. V, 19-27).

13. — *c) Tertio: Diserte atque evidenter Deus dicitur.*

Primo a s. Thoma clamante *Dominus meus et Deus meus!* Inepte autem dixerunt haeretici eam esse admirantis exclamationem: nam graece non habetur signum eiusmodi ὦ, sed articulus ὁ. Praeterea Evangelista scribit: *Respondit Thomas et dixit ei*, nempe Christo.

Secundo adest locus s. Pauli: *Exspectantes beatam spem et adventum magni Dei et Salvatoris Iesu Christi* (ad Titum II, 13). Conatus est Erasmus textum enervare seiungendo Salvatorem a magno Deo: sed frustra, nam graece fuisset iterandus articulus, quod non fit: τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος. Iteratur vero cum oportet: Αὐτὸς δὲ ὁ θεὸς καὶ πατὴς ἡμῶν καὶ ὁ κύριος ἡμών Ἰησοῦς κατευθύναι τὴν ὁδὸν ἡμῶν πρὸς ὑμᾶς (1 Thes. III, 11). — Insuper adventus et apparitio perpetuo in Scripturis Filio tribuitur, nunquam Patri. Cf. I Cor. 1, 8; XV, 15; Phil. III, 20; I Thess. II, 19; III, 13; VI Pe. III, 4; I Io. II, 28; Apoc. XXII, 20; etc. — Denique eodem sensu dicitur: *Apparuit humanitas Salvatoris nostri Dei* (ad Tit. III, 4); *praeceptum Salvatoris nostri Dei* (I, 3); *Doctrina Salvatoris nostri Dei* (II, 10).

Tertio occurrit oratio Pauli ad presbyteros ephesinos: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Sp. S. posuit epi-*

scopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo (Act. XX, 28).

Quarto, est locus in ep. I Ioannis: *Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus et vita aeterna* (V, 20). Voluit Erasmus pronomen *hic* referre non ad Filium ultimo loco nominatum, sed ad Deum de quo antea. Sic ille ergo intelligebat: Ut simus in vero Filio eius; hic, nimirum huius Filii Pater, est verus Deus. Primo, ridiculum et absurdum est. Deinde tota epistola Ioannes contendit in idem ad quod scripsit Evangelium, ut Iesum Christum Deum ostenderet. Hac epistola scilicet Evangelium suum Ecclesiae obtulit; at bene illius finis respondet huius exordio: *In principio erat Verbum,* etc. — Narrat Gregorius Naz. (orat. theol. III) eunomianos concessisse hic vocari Deum ipsum Filium; at aequivoce, sicut *canis* dicitur de latrante ac de signo coelesti. Et huic commento opponitur additum *verus,* quo arcetur diminutio a vi nominis Dei (MG. 36, 73 ss).

Quinto afferimus illud Pauli: *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula* (Rom. IX, 5). Per se claret; at Sociniani vim tollere nisi sunt, transpositis punctis. Legunt igitur et intelligunt: Ex quibus est Christus secundum carnem. Qui est super omnia Deus, ipse sit benedictus in saecula. Vel etiam punctum apposuerunt post verba: *super omnia.* — Id ut defendant, appellant ad codices. Sed qui codices scrutati sunt, vix quinque, saeculorum posteriorum, loquutionem dividentes invenerunt, contra ducentos et quinquaginta et amplius continuatam periodum retinentes. Erasmus dicit se punctum intermedium invenisse apud Chrysostomum, sed et hoc iniuria, comma pro puncto accipiens. Appellant etiam ad Patres, pro quibus *super omnia Deus* non est nisi Pater. At novimus quid respondendum. Qui Trinitatem meditantes rationem principii absque principio magnificarunt, Patrem utique, interdum plus aequo, Filio praetulerunt; qui scilicet tantum ad mutuam inter illos relationem spectabant. At si

Deus intelligitur absolute, ut intelligi debet in textu Pauli allato, Deus nimirum a quo sunt omnes creaturae, unum sunt Pater et Filius, idque Patres omnes probe noverunt. Quod si scriptor aliquis antenicaenus et in hoc obscuritatem nonnullam passus est, minime nos ex eius deficiente cogitatione literam Pauli corrumpendam censebimus. Frustra demum patrem ullum quaerere voluerunt, qui sententiam illam ad Patrem, non ad Iesum Christum referret. Petavius (de Incarn. l. II, c. IX) quindecim Patres affert, sine dubitatione ea verba ad Christum referentes; alios plures citat Franzelin (th. IX), qui etiam syriacam versionem recitat sic habentem: Ex quibus apparuit Christus secundum carnem, qui est Deus super omnia, cui laudes et benedictiones in saecula. Ubi poneret punctum Erasmus?

Sexto, in Evangelio secundum Lucam (I, 16-17) legimus: *Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum ipsorum, et ipse praecedet ante illum.* Nempe ante ipsum Dominum Deum, qui profecto ipse Iesus est, cui praeivit Ioannes.

14. — *Septimo,* illustre est testimonium Io. X, 24-40. Ibi enim affirmatur Filius Patri consubstantialis: *Ego et Pater unum sumus.* In quem locum scribit Angelicus: Unum dicitur sicut ens; unde sicut aliquid non dicitur ens simpliciter, nisi secundum substantiam, ita neque unum dicitur nisi secundum substantiam vel naturam. Simpliciter autem dicitur quod nullo addito dicitur. Quia ergo hoc simpliciter dicitur *Ego et Pater unum sumus,* nullo alio addito, manifestum est quod sunt unum secundum substantiam et naturam. Nunquam autem invenitur quod Deus et creatura sint unum sine aliquo addito, sicut illud I Cor. VII, 12: *Qui adhaeret Deo unus spiritus est* (in Io. X lect. V). — At verborum per se patentium vis etiam patet ex antecedentibus. Narratur enim Iesus iudaeos reprehendisse eo quod sibi non crederent; non credebant autem, quia ex eius ovibus non erant. Et tamen ait, ovibus meis ego do aeternam vitam, easque de manu mea nemo potest eruere, quia Pater eas mihi dedit in manus, quodque Pater mihi dedit maius omnibus est (nempe divinitatem), et ego et Pater unum sumus. Vel etiam ex aliquo codice: Pater, qui oves mihi dedit, maior est omni-

bus; porro ego et P. unum sumus; quod in idem recidit. Atqui assertio divinitatis in his est clarissima. Sed rursus ex consequentibus patet. Nam et ita iudaei intellexerunt. Volebant enim lapidibus opprimere Iesum: *Quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum.* Id vero Christus non negat; immo confirmat ex eo quod eadem facit quae fecit Pater, ac dicit se esse in Patre et Patrem in se esse, profecto ex unitate essentiae; quamobrem alibi dixit videre Patrem qui Filium videt (Io. XIV, 9-12), quod sane dici nequit pro iis quorum unio cum Deo sola caritate constituitur. Argumentum autem quod Christus accipit ex psalmo: *Ego dixi: dii estis,* eo valet quo ostendit Dei nomen posse aliqua ratione creaturis communicari, ut iudicibus terrae, quadam divinae potestatis participatione; multoque magis illi quem singulariter ut Missum Dei accipere iudaei debuissent. Argumentum est a minori ad maius. Quod ex eodem psalmo colligere licet. Dicitur enim ibidem: *Surge, Deus, iudica terram, quoniam tu haereditabis in omnes gentes.* Si illi igitur qui partem aliquam auctoritatis obtinuerant dii vocantur, quanto magis Ille, cui singulari prorsus modo potestas est in omnem terram, Deus vocari potest? Cf. c. V Io. 17-30. Notandum vero his duobus Ioannis capitulis V et X, non modo asseri Filio Divinitatem, at simul modum, quo Divinitas ei competit ut a Patre procedenti, fidei nostrae tradi atque exponi.

15. — Eminet inter cetera exordium evangelii s. Ioannis, quo genesis mysterii quodammodo exhibetur. — Ab initio enim divinitas illius, qui Iesus erit, eiusque distinctio a Patre sublimi voce depromitur. Filius Dei *Verbi* nomine designatur, quo Illius processio divinae intellectualitati tribuenda asseritur. Non enim formaliter et immediate ratione ipsius Essentiae, ac si natura multiplicari deberet, foecunditas est in Deo. Ab eadem natura sive essentia, quae est ipsum Esse, intellectum nullo pacto distingui, ideoque ipsam intellectualem operationem minime distingui ab Essentia, et identice in ipsius Esse prima actualitate contineri, certum est. At Verbi, quasi operati vel termini intellecti processionem, ideoque relativam distinctionem a suo principio, esse affirmandam, fide novimus. Ex aliis Scripturae locis Filium

a Patre procedere discimus; hic docemur eo Filium esse quo Verbum est.

In principio, sive, ut putamus, quando rerum initium fuit, Ille iam erat: erat ergo ante saecula; ab aeterno erat. Aliis placet per illud *in principio* aeternitatem significari. Quis enim non considerat, ait s. Fulgentius, illud digne principium dici, quod nullo potuit principio praeveniri? Nam quidquid ante quodlibet principium cogitare volueris, hoc necesse est verum principium fatearis. Et quoniam semper cogitando principium, nullus invenit terminum, propterea illud est dicendum vere principium, quod est essentialiter sempiternum (ad Trasimundum l. II, c. V; ML. 65, 249) His, pulchre innuitur vocem illam *in principio* referri absoluta significatione ad divinam aeternitatem; non tamen patet ad mentem hoc dici scriptoris evangelici, apud quem vox illa eamdem videtur habere vim, quam in exordio Genesis habet, ubi ad tempus refertur atque ad rerum initium. Scilicet, ipso etiam tempore incipiente, quando nimirum Deus omnia creavit, Verbum iam erat. Iam erat, neque ideo habuit initium, qua ratione illius aeternitas asseritur; nam, ut ait s. Ambrosius, « indefinite tenditur *erat:* quidquid excogitaveris, *erat* Filius. Omnes autem haereses hoc capite brevi piscator noster exclusit. Quod enim *erat* in principio, non includitur tempore, non principio praevenitur » (De fide, I, 8; ML. 16, 541). Eodem ambae interpretationes tandem redeunt. Sive absolute *in principio* accipiatur pro divina aeternitate, ut mavult Franzelin; seu relative initium rerum signet, Verbum ab aeterno fuit.

Ab aeterno genitus Filius, sive prolatum Verbum, apud Patrem sive Dicentem erat: ab eo profecto distinctus apud quem erat. At illi procul dubio consubstantialis; nam et ipse erat Deus. Nec dubium quominus in tertio primae periodi commate Verbum sit subiectum, Deus sit praedicatum: patet ex articulo graece apposito ipsi subiecto, quod tamen posterius ponitur, eo quod eadem voce unumquodque membrum completur qua sequens inchoatur: καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος. Scimus autem nominis *Deus* in utroque inciso eamdem esse formalem significationem, etsi diversa sit suppositio.

De eodem Verbo multa dicit Ioannes. Primo quod *per Ipsum omnia sunt facta:* non igitur, s. Augustinus infert, non igitur ipse factus est. Facta sunt omnia per ipsum; sed id, exclusa certe ratione causae instrumentalis seu ministerialis, vel proprie accipi potest vel appropriate. Proprie, quatenus virtus creatrix, quae in Patre est absque principio, in Filio est ut accepta a Patre cum ipsa Deitate. Non ergo virtus Filii dependens et secunda est, quum eadem sit quae in Patre; tamen aliquam analogiam habet cum causa mota vel secunda, prout haec motum recipit a principali agente. — Appropriate, sive per appropriationem; quatenus Deus per intellectum agit, ut artifex per ideam quam in mente habet. Quum igitur Filius sit ut terminus intellectualis, rationem habet cur sibi approprientur quae ad ideam vel ad exemplar excogitatum pertinent. Ceterum idea rerum proprie est ipsa divina Essentia, quae creaturas divinum Esse diversimode participantes connotat.

In ipso vita erat, immo ipse erat vita; tum absolute, tum in ordine ad vitam supernaturalem, quam daturus erat credentibus in Illum: ad hoc enim mens Evangelistae videtur referri ex contextu totius sermonis, etsi verissima et pulcherrima sunt quae de vita divina, deque intellectuali vitalique ratione quam omnia habent prout in mente divina continentur, disserunt s. Augustinus (in ev. s. Ioannis) et s. Thomas (item in ev. et l. IV, c. XIII; I p. q. XVIII art IV). — Evangelium autem hoc loco videtur prorsus ad eam vitam respicere, de qua statim unice loquitur, quaeque in nobis est *nova creatura* (ad Gal. VI, 13), et exhibetur sub imagine lucis, quae erroris et peccati tenebris opponitur: *Et vita erat lux hominum.* Vere enim *omne quod manifestatur lumen est* (Eph. V, 18); et vitae supernaturalis initium fides est, quae deinde per caritatem operatur. Ut hanc lucem attulit Christus, etiam nomine Orientis designatus est (Zach. III, 6), et hic dicitur illuminare omnem hominem qui in hunc mundum venit. De luce qua nos illuminat, Apostolus loquitur, cum ad Timotheum scribit: *Manifestata est autem nunc* (gratia Dei) *per illuminationem Salvatoris nostri Iesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminavit*

autem vitam et incorruptionem per evangelium (II ad Tim. I. 10). Illud igitur Verbum Patris, illud erat et vita et lux hominibus communicanda: nequaquam lux erat Ioannes, qui tamen a Deo missus fuit, ut Christo pararet viam. Erat autem vita, non quae ex carne et sanguine nec voluntate viri acquiri possit, sed qua nascimur supra naturam ex Deo. Ex quibus luculenter patet, Verbum idem, cui prius creationis opus assertum est, auctorem gratiae nunc asseri: omnino ille Deus est.

Porro idem illud Verbum, quod dictum est ab aeterno fuisse apud Deum, et esse Deus, et Creator et Sanctificator, illud inquam *Verbum caro factum est.* Hic profecto caro ponitur pro integra humana substantia: caro vivens est σάρξ, minime κρέας vel σῶμα, vel aliud simile, quod mortuum esse potest; vivit vero per animam: animam non aliam sane praeter humanam. Simili modo in Symbolo dicimus: *Et incarnatus est, et homo factus est.* Ita etiam dicitur: *Et videbit omnis caro salutare Dei* (Is. LII, 10); *Ut sciat omnis caro quia eduxi gladium meum* (Ezec. XXI, 5); aliaque multa eadem voce eademque vi. Animadverterunt autem Patres plures, sensibilem partem nominari ad vividiorem significationem, ad exprimendam magis Verbi dignationem, ad refellendam haereticorum, veritatem humanae naturae negantium, improbitatem. Contra quam etiam additur Verbum *habitasse in nobis:* de quo praeterea in I. ep., qua fertur Evangelium Ecclesiae exhibuisse, Ioannis ait: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae, annuntiamus vobis* (I, 1-2). Illud etiam se vidisse hic testatur Ioannes: *Et vidimus gloriam eius:* fortasse in transfiguratione, probabilius in complexu omnium mirabilium quibus Dei Filius, etsi in forma servi exinanitus, ostendit tamen quis esset: fuit enim gloria *quasi Unigeniti a Patre;* quae nimirum Filium Dei deceret, quemadmodum dicimus: incessit quasi rex. Hoc testimonio explicite docemur eumdem esse Filium quod Verbum. Unigenitus autem dicitur ad singularitatem ostendendam extra eos qui adoptivi sunt; vel, auctore s. Basilio (apud Maldonatum in h. l.), ad innuendum omnes Patris

divitias Filium habere, sicut inter nos filius unicus omnium est haeres, nec cum fratribus divitias partitur.

Denique apparuit *plenum gratiae et veritatis ;* vel etiam *plenum* vidimus. Ad graecus textus nominativum habet πλήρης et refertur ad primum nomen Λόγος : bene igitur latine *plenum* neutre componitur cum Verbo. Et construi potest : vidimus gloriam quasi Unigeniti a Patre, quod Verbum fuit vel apparuit plenum gratiae et veritatis. Plenum utique etiam in assumpta natura ; quia *non ad mensuram dat Deus Spiritum* (Io. III, 34), et quia *de plenitudine eius omnes accepimus* (I, 16). Gratia autem et veritas sanctitatem designant et sapientiam, quae absolutam perfectionem in ipso Iesu obtinuerunt. Comparate vero ad nos, gratia et veritas ea ratione accipi debent, qua inferius dicitur gratiam et veritatem, loco legis mosaicae, per Christum advenisse (v. 17) : ieiunis enim Veteris Legis elementis mysteria quibus vitam efficaciter assequimur Christus substituit, atque in Illo figurae omnes complementum assequutae sunt. Haec autem per Christum ut hominem, non sine divina virtute operantem, perfici potuerunt. Itaque de utraque natura, divina scilicet et humana, per hoc Evangelii exordium omnino constat. Nec minus evidens est alterutrius naturae veritas quam alterius : certissime Verbum est Patri consubstantiale, sive Deus est, qui vere homo factus est ; unus idemque est qui ab aeterno in Patre fuit et suo tempore habitavit in nobis, et vitam supernaturalem attulit, plenus gratia et veritate. Totius tractationis de Verbo Incarnato hoc est mirabile compendium.

16. — His, quibus Scriptura Iesum absolute Deum affirmat, addere possumus ea omnia quibus Iesus ipse se ut Deum agere ostendit. Sepositis etiam perspicuis sermonibus quos Ioannes affert, ut Cerinthum imprimis refelleret, habemus apud Synopticos quae satis sunt ad veritatem in tuto ponendam. Incipere Dominus visus est ab iis notis exhibendis, quibus tempus Messiae agnosci debuerat. Poenitentiam indicit ; regnum coelorum iam enunciat propinquum. Atqui ipse est Messias : nam interrogantibus : *Tu es qui venturus est, an alium exspectamus?* respondet ut operibus attendant, atque inde colligant quem

exspectant vere adesse (Lc. VII, 19 ss.). Revera ad hoc devenit populus, ut Filio David et venienti in nomine Domini acclamarent omnes. Sed paulatim etiam se plusquam hominem et plusquam creaturam ullam declaravit. Non solum enim de se dixit: *Ecce plusquam Ionas hic,* et*: plusquam Salomon hic,* sed et *sabbati dominum se declaravit,* et *templo sanctius,* et *qui peccata remittere valeret,* non ministerio (quod tamen aliis committere potuit), sed nativa suaque prorsus auctoritate. Pariter ut dominus miracula patravit, ac daemones eiecit, et similia faciendi potestatem discipulis tradidit. Insuper tamquam supremus legislator egit, cum ex se antiquam Legem mutavit perfecit, quam tamen posuerat Deus: *Ego autem dico vobis* inquiens, non: *dicit Dominus,* ut Moyses loquebatur. Unus ille praeterea postulare potuit ut plus quam patrem et matrem, plus quam filios et animam nostram diligeremus eum; unus ille signa dilectionis a poenitente muliere sibi data, tamquam ipsi Deo data excepit. Iesus etiam promisit Angelos se missurum, qui profecto sunt sua natura Angeli Dei; ille se iudicem edixit, et protestatus est frustra sibi multos esse dicturos Domine Domine, quos ipse in iudicio damnabit eo quod eius praecepta non servaverint. Praeter quae habemus parabolam de vinitoribus, et laudem Petro datam eo quod se, minime naturali, sed superiori lumine, Filium Dei dixerit; habemus sibi et Patri assertam eamdem mutuam cognitionem (quem locum, quia explicare nequeunt, modernistae ex Evangelio expungunt: sed ea methodo, quid non negare licet, vel quid non ad libitum ostendi potest? Evangelium ut iacet accipiendum est), et sibi datam ex Ps. CIX sessionem ad dexteram Patris, et promissionem veniendi inter angelos suos ad mundi iudicium, atque illud tandem quod prorsus non assequor qua ratione ullus nisi Deus polliceri posset, se omnes refecturum qui ex quocumque labore atque oneris gravamine ad eum recurrerent: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (Mt. XI, 28).

Haec deprompta sunt ex iis Evangeliis, in quibus modernistae negant asseruisse Iesum suam Divinitatem. Ea plerumque in Galilaea dicta actaque sunt. In Iudaea vero et in urbe Hie-

rusalem sermones habuit Dominus quibus directe et formaliter se Deum probaret; quam utique assertionem intellexerunt Iudaei, atque in invidiam et iram excitati sunt; ex quo tamen mortis Christi ideoque redemptionis nostrae occasionem Dei Providentia accepit.

Patet autem consideranti nullam legitime obiectionem desumi ex eo quod non statim Iesus se Deum apertis verbis proclamaret, neque Apostoli ipso Pentecostes die explicite idem dixerint. Ad rem adeo incredibilem, ut qui homo apparebat simul esset Deus, accipiendam, mentes animosque disponere necesse fuit. Prius ergo Dei legatus ille demonstratus est; deinde, post signa ac portenta innumera (nam *virtus de illo exibat et sanabat omnes :* Luc. VI, 19), tantum mysterium proponi potuit. Ceterum vel in primo sermone ad populum, Iesum *Auctorem vitae*, quod uni Deo competit, Petrus appellavit (Act. III, 15).

17. — Hanc igitur doctrinam de Christi Iesu divinitate ab eiusdem ore primo excepit Ecclesia, eaque in fidelium notitia explicita et certa et evidenti ab initio fuit. Deinde literis Novi Testamenti consignata fuit ; deinde perpetua traditione ad finem usque saeculorum continuata. Nec dubium quin certa fuerit ab initio Ecclesiae fides, quidquid sit de perfecta loquendi ratione cum Filius Patri compararetur. Vividior enim erat simplex veritatis affirmatio Christum esse Deum, quam clarior esset singularum quaestionum solutio, personarum distinctionem in uno Deo respicientium. Uno autem ore uno sensu Ecclesia tota contra quemlibet errantem insurgebat : sive quis superiorem naturam praeter humanam in Christo negaret, sive eam naturam inferiorem Deo faceret eique non omnimodam adorationem exhiberet. Erraverunt enim ebionitae et Photinus aliique purum hominem Iesum dicentes ; erraverunt gnostici atque ariani, superius aliquid agnoscentes, sed non omnino Deum Patri consubstantialem. Omnes Ecclesia Dei damnavit, omnes ab se abscissos voluit, qui non integram fidem in Symbolo quod initio exposuimus contentam profiterentur.

Huius fidei testem habemus, praeter ipsa Symbola fidei, orandi rationem, qua, ut Cyprianus scripsit, Christum Iudicem

et Deum et Dominum nostrum promeremur obsequiis nostris (epist. LX, ad episc. Numidiae; ML. 4, 360): illum enim utpote Filium Dei adoramus reponebant christiani smyrnenses iudaeis de Polycarpi corpore reddendo disputantibus (Euseb. Hist. l. IV, c. 15; MG. 20, 357). Quod et Plinius affirmabat dum Traiano scriberet. — Testes habemus martyres, quibus dabat ipse Iesus loquendi gratiam non ab hostibus vincendam. Fertur Apostolus Andreas (antiquissima sane narratio est, etsi non authentica) Aegeae praesidi respondisse: Si credideris Christum Filium Dei, quem Iudaei crucifixerunt, esse verum Deum, pandam tibi quo ordine occisus vivat Agnus, qui cum sacrificatus fuerit et comestus, integer tamen in suo regno permanet. — S. Ignatius M. Iesum in se habitare affirmavit: Etenim, ait, scriptum est: inhabitabo in illis et ambulabo inter eos. — S. Martialis, unus e septem s Felicitatis filiis: Omnes qui non confitentur Christum verum esse Deum in ignem aeternum mittentur. — S. Symphorosa: Si pro nomine Christi Dei mei incensa fuero, illos daemones tuos magis exuro. — S. Polycarpus: Verax Deus, glorifico te, cum Iesu Christo dilecto Filio tuo, cum quo tibi et Spiritui Sancto gloria et nunc et in futura saecula. — S. Epidodius lugdunensis (a. 178): Christum cum Patre et Sp. S. Deum esse confiteor; dignumque est ut illi animam meam refundam qui mihi creator est et redemptor. — S. Vincentius: Dominum Christum confiteor, Filium altissimi Patris, unici unicum, ipsum cum P. et Sp. S. unum solum Deum esse profiteor. — S. Donata Scillitana, Carthagine interfecta a. 200: Honorem Caesari reddimus, timorem vero et cultum Christo vero Deo praestamus. — S. Euplus (Catanae, a. 304): Patrem et F. et Sp. S. adoro, s. Trinitatem, praeter quam non est Deus. Sacrifico modo meipsum Christo Deo. — S. Afra (Augustae Vindelicorum a. 309): Domine Deus omnipotens Iesu Christe, tibi offero sacrificium meum, qui cum P. et Sp. S. vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. — S. Pionius et s. Asclepiades (Smyrnae, a. 250): Polemon dixit: Quem colis Deum? Respondit Pionius: Deum omnipotentem qui fecit coelum et terram, quem cognovimus per Verbum eius Iesum Christum.

Polemon dixit: Quem colis Deum? Respondit Asclepiades: Christum. Polemon: Quid ergo? Iste alter est Deus? Respondit: Non, sed ipse quem et Pionius confessus est. Iudices iterum dixerunt: Quem Deum colitis? Respondit Pionius: Hunc qui coelum fecit. Polemon: Illum dicis qui crucifixus est? Pionius: Illum dico, quem pro salute orbis Pater misit. — Quae non sunt theologicae disputationes, sed instantes et firmissimae a populo christiano suae fidei assertiones ac professiones. Cf. Ginouilhac: Hist. dogm. cath. p. I, l. X.

Etiam iuverit quaedam afferre documenta, quibus veritas a nobis credenda solemni ritu definita fuit. — Post Symbolum apostolicum, vel primaevae formae, vel cum nicaenis additamentis, habemus canones concilii Ephesini (Denzinger, 113 seqq.). Directe errorem Nestorii illi respiciunt ac damnant, in ordine tamen ad hoc, divinitatem asserunt Iesu Christi, primus praesertim, et a quinto ad nonum. — Si quis non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel, a. s. — Si quis audeat dicere hominem Christum Theophorum, i. e. Deum ferentem, ac non potius Deum esse veraciter dixerit, a. s. — Si quis dicit Deum esse vel Dominum Christi Dei Patris Verbum, et non magis eumdem ipsum confiteatur Deum simul et hominem, a. s. Et reliqua. — Habemus pariter Symbolum athanasianum, ubi singuli errores contra Christum paucis perstringuntur: Est ergo fides recta ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster I. C., Dei Filius, Deus et homo est. Deus est ex substantia Patris ante saecula genitus, et homo est ex substantia matris in saeculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens. Aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen sed unus est Christus. Et reliqua. (D. 39 s.). — Denique in decreto *Lamentabili* damnata est propositio 27ª: Divinitas Iesu Christi ex Evangeliis non probatur. (D. 2027).

18. — Instans de Christo Deo nostrae fidei affirmatio vel ab initio contra infideles saepe iteranda fuit, quum multi christianis exprobarent, eo quod hominem, eumque capitis damna-

tum et cruci affixum, adorarent. Humano sensui id certe insanum videtur: nec Deus Homo ita mori potuisse dicebatur. Haec Origenes a Celso, Arnobius a paganis, a multis Lactantius refert. Porro christiani doctores, apologetae praesertim, ut s. Iustinus, Athenagoras, Melito sardensis, Clemens Alex., Hippolitus, aliique, rem ita habere concedunt: id inculcant quod Arnobius (in Disput. l. IV) nervose scripsit: *Ideo Christus, licet nobis invitis, Deus; Deus inquam Christus; hoc saepe dicendum est.* — Evidens etiam est Ecclesiae fides in iis quae diversis haereticis reponebant veritatis defensores: multiformis enim error tutandae ex omni parte veritatis felicem necessitatem induxit. Alio modo ebionitae, alio modo gnostici errabant; alio modo qui personam Christi eamdem cum Patre fecerunt (Noetus, Praxeas, Patripassiani), alio modo qui inferioris naturae (Subordinatiani, Ariani): media incessit christiana doctrina, cui Filius alius a Patre, unum cum Patre est; itaque ex omni parte errorem respuendo integrae veritati testimonium dedit. Non opus est nobis huius vel illius Doctoris verba hic recitare, ubi universae Ecclesiae vox clamat.

Constat igitur de fide totius Ecclesiae, ex primaeva revelatione, ex Scripturis, ex historia evangelica, ex tota traditione, qua fide certissime Iesum a Nazaret verum Deum, non aliud etsi alium a Patre, profitemur.

Haec est thesis prima, quam ex tota revelationis historia et Ecclesiae cultu fideque ostendimus, Iesum, quem ut exspectatum Messiam excipere debuissent Iudaei, verissima ac plenissima loquutionis vi Deum esse praedicandum. Quae thesis contra Ebionitas et contra Paulum Samosatenum et Photinum et contra recens rationalistarum agmen, demonstranda fuit, asserendo eumdem Iesum sibi ut homini e Maria nato praeextitisse, quia, ut Ioannes Baptista dixit: *Qui post me venit* (erat ille praecursor, et Iesus sex menses post illum natus est) *ante me factus est* (Io. I, 30), quia ab aeterno erat. Contra Gnosticos qui naturam aliquam agnoscebant humanae adiunctam eaque potiorem in Christo; contra Arianos, qui superiorem illum Spiritum dicebant singulari modo Filium Dei, non tamen veri no-

minis Deum, ostendendum fuit vere Iesum esse Deum, Patri coaeternum et aequalem et consubstantialem. Haec tamen eadem est disputatio quae fuit in tractatu de Trinitate; et reipsa, sicut occasio Trinitatem revelandi fuit Dominus Iesus seu Verbum caro factum, ita et ab illo haeretici occasionem errandi circa Trinitatem arripuerunt. Non hic ergo obiectiones solvimus alibi pertractatas. At quod generatim spectat ad Christi divinitatem, difficultates invenire potes apud s. Thomam l. IV C. G. a cap. IV ad IX et c. XXVIII. Praeterea apud Wirceburgenses, tom. II, sect. II, art. II et III.

19. — Deinde eadem certitudine ac fidei necessitate affirmanda est vera humanitas Christi, ut scilicet teneamus Iesum illum qui in Palaestina vixit verum fuisse et integrum hominem, non secus ac ceteri quos in nostra natura novimus. Mirum est sane de hoc quoque disputationem institui potuisse. At si divinitati iudaei carnales atque infideles alii obstiterunt, contra veritatem humanae substantiae, vel manichaei corpoream molem malam esse arbitrantes, vel alii idealistae surrexerunt, qui verum corpus ac veram proinde humanitatem assumi a Deo posse inficiarentur. Dixerunt igitur primo apparuisse tantum non vere extitisse hominem Iesum, sicut non erat reipsa Ananias Azariae magni filius qui Tobiam comitabatur angelus Raphael. At quia clamabant christiani (docetis vel phantasiastis restiterunt s. Ignatius M. in ep. ad Trall.; s. Irenaeus adv. haer. l. III, cc. 18-22, l. V. cc. 17-18; Tertullianus, de Carne Christi; Clem. Alex. Strom. l. III), Valentinus gnosticus successit, qui carnem fateretur veram, et a coelesti substantia deductam, non a Maria acceptam, quippe dedecus Verbi diceret originem e femina ac transitum per eius viscera. Et hoc Apelles quoque negavit, etsi carnem vere humanam fateretur. Hi corpus Christi impetebant; alii humanam animam impugnarunt, quo iterum humanitas destruebatur. Ad hoc ut negaret animam Arius deductus est. Cum enim vellet asserere, ait s. Th., quod Filius Dei sit creatura et minor Patre, ad hoc probandum illa Scripturae assumpsit testimonia, quae infirmitatem humanam ostendunt in Christo; et ne aliquis eius probationem refelleret,

dicendo assumpta ab eo testimonia Christo non secundum divinam naturam, sed humanam, convenire, nequiter animam removit a Christo; ut quum quaedam corpori humano convenire non possint, sicut quod miratus est, quod timuit, quod oravit; necessarium fiat huiusmodi in Filii Dei minorationem inferre. Assumpsit autem in suae positionis assertionem verbum Ioannis dicentis: *Et Verbum caro factum est;* ex quo accipere volebat quod solam carnem Verbum assumpserit, non autem animam (IV C. G. c. XXXII). — Ario successit Apollinaris, qui arianam sententiam ita temperavit, ut poneret in Christo vegetalem animam et sensitivam, pro mente autem poneret Verbum. Induxit ita in hominem *trichotomiam*, corpus, animam, spiritum; spiritui substituit in Christo Verbum, quo illum impeccabilem faceret, et faceret unum, quia, aiebat, *duo perfecta Christus unus non capit.*

Non haec singillatim nunc refutanda suscipimus. Patet iis everti totum mysterium Incarnationis et subsequentis salutis. Satis fuerit sub oculis ponere documenta quibus Ecclesia fidem asseruit suam. — Est primo epistola s. Leonis Papae ad s. Flavianum (a. 449), ubi c. III dicitur: « Salva igitur proprietate utriusque naturae et substantiae in unam coeunte personam, suscepta est a Maiestate humilitas, a Virtute infirmitas, ab Aeternitate mortalitas.... In integra ergo veri hominis perfectaque natura verus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris ». (ML. 54,763). — Est secundo decretum Concilii Chalcedonensis (oecum IV, a. 451): Unum eumdemque confiteri Filium et Dñum nostrum I. C. consonanter omnes docemus, eumdemque perfectum in deitate, et eumdem perfectum in humanitate, Deum vere et hominem vere, eumdem ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato. Et reliqua (D. 148). — Tertio, similia habet symbolum athanasianum. — Est quarto loco epistola Agathonis Papae cum concilio Romano a. 679. — Quinto est definitio Synodi VI oecumenicae (Constant. III a. 680). Haec habes in Enchiridion a n. 143, n. 288 et seqq. Lege autem s. Th. IV.

C. G. a cap. XXXIII. — Altera igitur haec veritas est christianae fidei fundamentum: *Iesus non apparuit solum, sed vere fuit homo, omnia in se habens, quae pertinent ad humanae substantiae integritatem.*

20. — Qui veram in Christo humanam et corpoream naturam negaret, non erraret minus quam qui divinam negat: utramque enim pariter Scriptura affirmat. Dicit enim reipsa Verbum esse Deum; sed eodem stylo addit; *et Verbum caro factum est.* Quod falsum esset, si tantum homo apparuisset. « Potest autem aliquis dicere (ait Angelicus) Scripturae S. veritatem non deesse, dum id quod apparuit refert ac si factum fuisset, quia rerum similitudines aequivoce ac figurate ipsarum rerum nominibus nuncupantur; sicut homo pictus aequivoce dicitur homo, et ipsa Sacra Scriptura consuevit hoc modo loquendi uti, ut est illud: *Petra autem erat Christus* (I Cor. X, 4); plurima autem corporalia in Scripturis de Deo inveniuntur dici propter similitudinem solam, sicut quod nominatur agnus, vel leo, vel aliquid huiusmodi. — Sed licet rerum similitudines aequivoce rerum sibi nomina interdum assumant, non tamen competit S. Scripturae ut narrationem unius facti totam sub tali aequivocatione proponat, ita quod ex aliis Scripturae locis manifesta veritas haberi non possit; quia ex hoc non eruditio hominum, sed magis deceptio sequeretur, quum tamen Apostolus dicat quod *quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt* (Rom. XV, 4), et: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum* (II Tim. III, 1). Esset praeterea tota evangelica narratio poetica et fabularis, si rerum similitudines apparentes, quasi res ipsas narraret; quum tamen dicatur: *Non enim doctas fabulas sequuti, notam facimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem* (II Pe. I, 16). — Sicubi vero Scriptura narrat quod aliqua apparentiam et non rerum exsistentiam habuerunt, ex ipso modo narrationis hoc intelligere facit... Quod etiam aliqua in Scriptura de rebus divinis per similitudinem dicuntur, errorem generare non potest: tum quia similitudines sumuntur a rebus tam vilibus, ut notum sit hoc quod secundum similitudinem et non secundum rerum

exsistentiam dicuntur; tum quia inveniuntur aliqua proprie dicta in Scripturis, per quae veritas expresse manifestatur, quae sub similitudinibus in locis aliis occultantur. Quod quidem in proposito non accidit. Nam nulla Scripturae auctoritas veritatem ab iis quae de humanitate Christi leguntur excludit. — Magis autem S. Scriptura expresse phantasmatis suspicionem excludit. Dicitur enim quod discipuli, videntes Eum ambulantem supra mare, turbati sunt dicentes quia phantasma est, et prae timore clamaverunt (Matth. XIV. 21); quam quidem eorum suspicionem Dominus removit. Adhuc autem expressius suspicionem phantastici corporis a mentibus discipulorum removit Dominus post resurrectionem, ut narratur Lucae XXIV, 37-39 » (IV C. G. c. XXIX).

21. — Docetae, vel errabant malam ponentes corpoream naturam; vel timebant dignitati Filii Dei, si carnem assumpsisset. Sed primum stultum est; alterum esset verum, si divina natura in corpus poneretur mutata, non autem si corpus Divinae Personae additum est ut instrumentum ad salutem hominum operandam. Immo non decuit Deum ut in eius opere aliqua fictio intercederet.

At opponunt illud ex II ad Cor. V, 16: *Itaque nos ex hoc neminem cognovimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non novimus.* Ad hoc s. Th. respondet (in h. l.): Manichaeus adducebat verba ista pro sé in fulcimentum erroris sui. Ipse enim dicebat Christum non habuisse verum corpus, et hoc Apostolum sensisse. At mirum esset quod neque ullum hominem carnem habere Apostolus idem existimasset. Ille tamen de ipso Christo asserit quod vere mortuus est, et vere resurrexit. Tenendum vero quod illud *secundum carnem* dupliciter accipi potest; vel ex parte obiecti cogniti, vel ex parte cognoscentis. Primo modo, interpretatio est: Ex quo a Deo certi sumus de gloria aeterna, neminem secundum carnis corruptionem novimus seu reputamus. Licet enim fideles corruptibilem carnem hic gerunt, tamen in spe iam habent incorruptibilem. Si ergo cognovimus Christum habuisse corruptibilem carnem ante passionem, nunc iam non

novimus, idest nunc scimus eum esse in gloria coelesti. Alio vero modo, totus locus ita accipiendus est, ut ex quo non debemus nobis vivere sed Christo, iam neminem noverimus sive aestimemus secundum carnalem sensum, vel secundum naturam in res inferiores proclivem. Frequens enim est haec significatio *carnis* in Scripturis, prouti spiritui opponitur. Quod si aliquando, i. e. ante conversionem, secundum carnem Christum aestimavi, non ita certe post lumen coelitus acceptum.

Opponunt etiam : *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in Spiritum vivificantem* (I Cor. XV, 45). Ergo, dicebant. Adam corporeus, Christus nequaquam. — Atqui evidenter hoc est contra mentem Apostoli, toto capite de vera Christi resurrectione loquentis. Dicit autem surrexisse *corpus spiritale ;* seu plene spiritui subiectum. Ac docet duplex esse nobis vitae principium, secundum naturam ab Adam primo, secundum gratiam seu Spiritum ab Adam novissimo. Etenim Adamus consequutus est perfectionem sui esse per animam, Christus vero per Spiritum, i. e. per Divinitatem humanitati substantialiter coniunctam. Et ideo quum anima non possit nisi proprium corpus vivificare, Adam factus est in animam non vivificantem, sed viventem tantum ; sed Christus factus est in Spiritum viventem et vivificantem ; et ideo, secundum etiam quod est homo, potestatem habuit vivificandi. Verum quia prius imperfectum, deinde quod perfectum est, prius esse debuit quod animale, deinde quod spiritale. Haec fere s. Thomas (in h. l.).

22. — *Sicut fides asserit verum corpus D. N. I. C., ita et illi vere tribuit humanam animam*, quam Arius et Apollinaris negantes haeretici fuere. Arius pro tota anima, Apollinaris pro mente tantum, Verbum posuerunt.

Sed contra Arium stat Evangelium dicens : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (Mt. XXXVI, 28) ; vel : *Anima mea turbata est* (Io. XII, 37) ; quae Verbo Dei per se competere non poterant. Frustra Arius reponit haec methaphorice prolata fuisse, sicut Deus dixit apud Isaiam : *Solemnitates vestras odivit anima mea* (I, 14). Tunc enim affectiones etiam

corporeae metaphorice essent accipiendae, sicut illud quod dicitur: *Postea esuriit.* Si non vere esuriit, nec vere manducavit, atque in Docetismum relabimur. — Contra stant definitiones Ecclesiae, perfectam hominis naturam Christo tribuentes. — Contra stat evidens ratio, quod neque sine anima est homo, nec potest fieri ut Verbum ipsum sit actus corporis, atque in partem veniat naturae sensitivae et vegetantis et materialis. Prorsus aliud est naturam perfectam ad subsistentiam assumere, aliud naturam formaliter constituere.

Apollinaris errorem voluit imminuere, Verbum pro sola mente ponens; admittens ceteroquin animam sensitivam. — Atqui contra sunt actus adorationis, et voluntatis, quae etiam se Patri submissam testatur; qui actus sine anima rationali exerceri non potuissent. — Iterum natura humana, dempta anima intelligente, penitus pessumdaretur; et brutum, non humanitatem assumpsisset Deus. — Praeterea non est sanatum quod non est assumptum: effatum solemne est: *Unde debuit per omnia fratribus assimilari, absque peccato* (Hebr. II). Recte igitur s. Ambrosius: « Si enim aliquid ei defuit, non totum redemit » (ep. 48; ML. 16, 1153). « Si dimidiatus Adam lapsus est, dimidiatum quoque sit quod assumitur; quod enim assumptum non est, salute caret » (Greg. Naz. ep. I ad Cledon; MG. 37, 184). « Filius Dei hoc adiuvat in homine, quod suscepit pro homine » (Fulg. ad Trasim. l. I, c. 13; ML. 65, 237). Plura vide apud Petavium (de Inc. l. V, c. 14).

23. — Fundamentum huius erroris in trichotomia positum, qua scilicet homo ex tribus constare dicitur, corpore, anima et spiritu, Patres etiam reiecerunt. — « Hominem ex anima intelligente et corpore optime constructum esse, et ita quidem recte, ut aliter fieri et cohaerere non possit, multi iique viri optimi existimaverunt. Sed aliqui, in quibus est Photinus, aliam esse animam ψυχήν, aliam mentem νοῦν, statuentes, ex tribus hominem constare volunt. Quos etiam Apollinaris sequutus est, Laodicaeae episcopus: nam hoc opinionis suae iacto fundamento, reliqua suo dogmati accommodata superstruxit » (Nemesius, De nat. hom. ab in.; MG. 40, 504). Aiunt vero mentem nostram

ipsam esse facultatem ipsius animae, qua homo vivit. Ita Epiphanius (adv. haer. LXXVII, 23): « Ego vero mentem nostram hypostasim esse non arbitror (subsisteret vero spiritus a sentiente distinctus), neque ex ecclesiae filiis alius quisquam id arbitratur; sed vim seu facultatem quamdam » (ib. n. 34; MG. 42, 673, 692). — Et ps. Athanasius: « Qui de hominis inobedientia quaestionem habuit, iudicium dedit, quo duplicem poenae sententiam protulit, terreno corpori dicens: terra es; animae autem: morte morieris; et sic in duas partes dividitur homo, damnatus ad duo secedere loca. Quod si mihi alium damnationis locum praeter hos duos indicare valetis; merito dixeritis in tres partes dividi hominem » (c. Apoll. l. I, c. 14; MG. 26, 1117). Quidquid sit de argumenti vigore, stat sententia. « Non duas animas esse dicimus in uno homine, sicut Iacobus et alii Syrorum dicunt; unam animalem qua animatur corpus et alteram spiritalem, quae rationem ministrat; sed dicimus unam eamdemque esse animam in homine, quae et corpus vivificat sua societate, et semetipsam sua ratione disponat » (Gennad., de Eccl. dogm. c. XV; ML. 58, 984). De eadem re Nyssenus agit in libro contra Apollinarem, atque haereticis tribuit quod hominem distribuant in partes tres. Quod quidem dicit aliquo pacto fieri posse, secundum ipsam rationem res enumerando; sed inde ait haereticos ansam errandi accipere. (MG. 45, 1124 ss.). Melius ergo dicimus *hominem duobus his absolvi, corpore scilicet et anima rationali.* — Quod Augustinus confirmat (l. XIII de Civit. Dei, c. 24; ML. 41, 398). Estque omnino tenendum secundum definitionem viennensem ac decreta Pii IX contra Guenther, ex quibus constat, animam, eamque rationalem esse veram essentialem et per se corporis formam. (D. 1655). Immo trichotomiam explicite ac directe damnavit Concilium oecum. VIII (Const. IV): « Vetere et Novo Testamento unam animam rationalem habere hominem docente, et omnibus deiloquis Patribus asseverantibus, quidam duas animas ipsum habere putant, et quibusdam sophisticis argumentis propriam haeresim confirmant. Itaque sancta haec et universalis Synodus talis impietatis parentes et eis consentientes anathematizat vehementer » (D. 338).

24. — Obiectionum primum caput erat in iis Scripturae loquutionibus, quibus Verbum dicitur caro factum, vel esse genitum secundum carnem, vel carni et sanguini communicasse. At ex universa doctrina Ecclesiae, atque ex usu Scripturae, atque ex necessaria ratione, haec per synecdochen accipienda sunt, partem scilicet magis sensibilem pro tota substantia humana ponendo. Plura Scripturae testimonia afferre licet, ubi *caro* stat pro *homine*, idque iam supra eum locum *Verbum caro factum est* exponentes (n. 15) adnotavimus. Potissimum id locum habet cum *caro* in recto ponitur, vel ut subiectum, vel ut attributum illi iunctum verbo substantivo. *Omnis caro sicut foenum veterascet* (Eccli. XIV, 18). *Videbit omnis caro pariter quod os Domini loquutum est* (Is. XL, 5). *Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum* (Ier. XVII). Cf. Mt. XXIV, 22; Rom. III, 20; I Cor. I, 29 etc. Haec universaliter. Quod vero attinet ad Christum, nomine carnis designari solet totum id quo homo est; nomine spiritus designatur id quo Deus et est et manifestatur. *Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu* ait s. Petrus (I Pt. III, 18; cf. I Tim. III, 16; Hebr. II, 14). Ita etiam s. Ioannes, adversus Cerinthum de Aeone loquentem qui post baptismum in Iesum descenderat, tempore passionis evolaverat, multis inculcat eumdem Iesum et esse verum hominem in carne passibili, et ab initio fuisse Verbum Dei. *Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est; et omnis spiritus qui solvit Iesum, ex Deo non est* (I Io. IV, 2-3).

Alias trahunt obiectiones ex Patrum dictis, quae calumniose pervertunt. At de his lege Franzelin th. XI et XIII.

Pro trichotomia, obiiciunt primo verba Genesis: *Formavit Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit* etc.: ergo fuit homo, antequam haberet animam a Deo creatam, scilicet rationalem; sensitivam habere debuit. — Respondit s. Augustinus (de Civ. XIII, 24; ML. 41, 398 ss.) solere etiam dici sepeliri hominem, dum cadaver sepelitur, nempe pars hominis. Sed contra, dicitur factus homo ex Dei insufflatione in animam viventem; ergo prius non vivebat. Unum ergo principium vitae

hic significatur. Quamobrem in cap. XII, Ecclesiastes bene dicit : *Et revertatur pulvis in terram suam unde erat ; et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum* (v. 7).

Obiiciunt verba s. Pauli distinguentis animam a spiritu. At ex certissima doctrina Apostolus intelligendus est de diversis viribus vel inclinationibus quae sunt in homine. Animalis homo pro illo est ipsa natura : spiritualis, qui Deum et gratiam sequitur. — Lege de his Petavium l. V, c. XII.

25. — *Omnino etiam fidei opponitur sententia negans animam in Christo coniunctam corpori fuisse, sicut in ceteris hominibus.* — Nam iterum per hoc natura humana destruitur, et mors et resurrectio absurdae evadunt. — Contra theologos eam separationem media aetate affirmantes, ne humanum suppositum in Christo ponerent, habemus (inter opera Hugonis a s. Victore ML. 177, 295 ss) op. Ioannis Cornutensis. — At explicite veritatem adversus quosdam apollinaristas veteres Patres vindicarunt. Dicunt enim carnem ipsam Christi esse rationalem : « Verbi Dei caro animata rationalis est » (Sophronius, ep. synod. ad Sergium ; MG. 87, 3147 ss). « Verbum hypostatice sibi uniens carnem animatam anima rationali, homo factus est » (Cyr. Alex. ep. 4 ad Nest. ; MG. 77, 45). Christus « cum assumpta ab eo atque animata intellectualiter carne eius » (Conc. Later. I can. 2 ; D. 255). Alia multa apud Petavium.

Sententiam illam quae animam a corpore in Christo seiungebat, videtur Magister exponere ut opinionem ; et sic de illa agunt ibi commentatores antiqui, ipseque s. Th., qui eamdem in Summa ut haereticam sugillat. Scotus vero ait haereticam non fuisse quamdiu ab Alexandro III damnata non fuit. Sed hac incerta damnatione opus non fuit ; ac defensores veritatis intellexerunt agi de re omnino secundum fidem necessaria ac certissima. Nihil autem huc faciunt tres substantiae quas quidem in Christo numerarunt, sicut duplicis substantiae dicimus hominem. Nihil facit timor humani suppositi : hoc enim in Christo non est, quia humanitas a Verbo assumpta est.

Cum vero creditum usque fuerit atque in Conciliis definitum B. Virginem Mariam esse matrem Iesu et matrem Dei,

ad fidem etiam pertinet carnem Christi, ex reali materia constantem, hinc e nostra terra acceptam fuisse, non extrinsecus allatam, et sic Illum ad nostram familiam spectasse. Hoc ad veritatis credendae complementum hic dicimus. At de Virginis maternitate inferius agendum erit.

Nunc ad unitatem personae e documentis fidei asserendam veniamus. Sed iuverit in antecessum de nestoriano errore aliquid disserere, quo mens Ecclesiae evidentius pateat.

26. — *Scholion : de historico errore Nestorii.*

Pluribus iam abhinc annis scriptores aliqui, magis humanae eruditionis quam fidei et sensus catholici amore ducti, a labe haeresis Nestorium abstergere voluerunt. Hoc scholae guentherianae discipuli, hoc recentiores modernistae passim dicunt, idque etiam innuit D. Duchesne : verba quaedam Nestorii imprudenter fortasse prolata, ex quibus nimio zelo ducti adversarii eum haeresis sontem fecerunt, et ipse Cyrillus acerrime impugnavit, at revera mentem illius catholicam fuisse.

Atqui ipsum Nestorium legenti patet substantialem unitatem Christi, seu divinae personae unicitatem in Christo, eumdem omnino negasse ; in reliquis vero catholicis consensisse. Immo in reliquis affirmandis eo magis insistebat, quo dissensum in praecipuo doctrinae capite tegere volebat. Ab initio scilicet cogitationem suam clare protulit ; cum deinde vidit contra se omnes insurgere, tum episcopos tum christianam plebem, implicatis loquutionibus negationem unius divinae personae obvolvere curavit.

Verbum Dei contra Arianos verum esse Deum, Nestorius agnovit. Illud ipsum Verbum homini Iesu coniunctum esse, pariter affirmavit. Unionem factam esse a primo instanti quo Iesus conceptus est, etiam confessus est. Non fuit arianus ; non fuit monophysita, neque humanitatem ex ulla parte minuere tentavit, quo pacto Apollinaris et Arius ipse eam diminuere voluerunt. Neque ille consensit Gnosticis aientibus Iesum meruisse ut sibi aliquando uniretur Deus : ab initio posuit unio-

nem fuisse perfectam. Fatebatur ab initio in Virgine Matre Spiritum Sanctum esse operatum, quo Iesus conciperetur, et iam tunc hominem illum Mariae filium a Verbo assumptum fuisse. « Verbum Dei, Nestorius ait, non est natum ex Maria ; sed in illo qui ex ea natus est, mansit. Non ex Virgine initium habuit, sed illi qui crescendo per menses paulatim compositus est in utero Virginis inseparabiliter omni tempore sociatus est » (Serm. III ; ML. 48, 769 cfr. Franzelin th. XXV). Ita ad Coelestinum Pont. scribendo Virginem Χριστοτόκον saepe vocat: non fuisset autem, si Iesus non ab initio conceptionis Christus fuisset, scilicet unctus unctione Divinitatis, immo hac ratione eo devenit ut Virginem ipsam Θεοτόκον appellari posse concederet ; eo nempe quod hominem concepisset Deum ferentem, Θεοφόρον (ML. 48, 841 ss). — Nec valet quod Cyrillus aliique contra eum arguerent, Verbum in sua doctrina debuisse iungi homini praeexsistenti : hoc enim necessario verum fuerat prioritate naturae; non prioritate temporis Vide testimonia apud Petavium l. IV c. XI : nullum ad tempus necessario refertur. — Nec valet quod etiam illi tribuunt, hominem Verbo unitum vel proficere potuisse, vel unionem ipsam emereri. Cum enim ad Nestorii mentem de morali iunctione ageretur, qua Iesus distinctus homo templum esset Dei, Deoque sanctitate coniunctissimus, nihil repugnabat eum ab initio actu libero hanc unionem utcumque meruisse, et crescentem illius perfectionem rursus deinde suis actibus obtinuisse. — Erraverunt ergo Guentheriani, totum Nestorii errorem in *originali separatione* ponentes : unionem enim suam posuit ille ab initio. At suam, non veram.

27. — Negavit scilicet pervicaciter unionem hypostaticam, sive καθ' ὑπόστασιν, ut patet ex oppositione ac damnatione, in qua adversus illum Caelestinus Pontifex et s. Cyrillus aliique omnes sui temporis doctores catholici et Concilium Ephesinum perstiterunt. Ille autem damnationem tulit, sententiam non mutavit. Patet praeterea ex perspicuis verbis, quae in illius sermonibus leguntur. Negat Deum esse passum : « Ego natum et mortuum Deum et sepultum adorare non queo » (Serm. IV ; ML. 48, 782). « Clamat propheta dicens : *Videbunt in quem*

compunxerunt. Quod igitur illud compuctum est? Latus. Latus vero non est Dei, sed hominis » (Serm. II ; ML. 48, 766) — Negat Deum esse natum. « Verbum Dei non est natum ex Maria ; sed in illo qui ex ea natus est, mansit. Aliud est dicere : cum illo qui natus est, manet ; aliud illum qui cum nato manet, hunc esse cui ut nasceretur mensium curriculo opus fuisse » (Serm. III ; ML. 48, 769) — Negat Mariam esse Deiparam. « Habet matrem Deus ? Ergo excusabilis gentilitas, matres diis subintroducens. Paulus ergo mendax de Christi Deitate dicens ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἄνευ γενεαλογίας. Non, vir optime, Maria peperit Deum.... sed peperit hominem Deitatis instrumentum » (Serm. I ; ML. 48, 760 s.) — (Sermo V ; ML. 48, 785 ss.), totus est contra Virginem Θεοτόκον. — Negat Deum esse factum Pontificem nostrum. « Legentes Pontificis vocabulum (Hebr. V, 1) Deum esse imaginantur pontificem : mira dementia. Quis enim audiens apostoli officium, non statim videat hominem demonstrari ? » (ML. 48, 787 s.). Ex his certo apparet Deum et Hominem in Iesu pro Nestorio duos fuisse, seu distinctas personas.

Unitatem ergo negat. Quid contra affirmat? Perpetuo asserit inhabitationem Verbi in viro illo, ἐνοίκησιν, cuius gratia Emmanuel Nestorio est « homo Iesus, in quo habitat Deus Verbum ». Illam auget dignitate, influxu, regimine, dominatione, gratia ; nam Verbo placebat homo sibi coniunctus, et homo Verbo per omnia se cum amore regendum praebebat (quod damnatur in Conc. V, can. 4 ; D. 216) ; at nunquam substantialem unionem agnoscit. Pervenit ad ponendam quamdam nominum communicationem, ita ut appellationes Filii Dei ad Filium hominis extenderentur ; sed causam assignat in duorum copulatione : unde sequitur non esse eumdem filium Dei et filium hominis. « Quia in assumpto Deus est, ex illo qui assumpsit qui assumptus est, appellatus est, *et appellatur Deus* » (Serm. I ; ML. 48, 762) Et : « Deus Verbum nominatur Christus, quia habet coniunctionem cum Christo perpetuam ; neque contingit ut Deus Verbum sine humanitate faciat aliquid ; perducta est enim ad summam coniunctionem, non tamen ad deificationem, ut sapientes e recen-

tioribus dogmatistis asserunt » (Serm. II ; ML. 48, 765 s.). « Sed communio quidem nominum similis est, dignitas non eadem est » (ib. ; ML. 48, 765). « Separa naturam, sed unitionem coniunge ; filium Dei Christum confitere, sed *Filium duplicem,* hominem et Deum ; ut passio quidem humanae deputetur naturae, passionis vero absolutio, quae in homine passo facta est, solius sit Divinitatis » (Serm. VIII ; ML. 48, 828).

Certe, cum totam contra se surgere sensit Ecclesiam, minus in loquendo audax fuit, quae causa est dubitandi Nestorii defensoribus ; at plane constat eum in sua sententia perstitisse. Nam perpetuo usus est eodem sophismate, quo concreta cum abstractis confundit, sive haec pro illis accipit. Num Deitas, inquit, nasci et mori poterit ? Minime. Ergo non est natus vel mortuus Deus. Perverse hoc ; et iterum perverse concludit non unum fuisse Hominem Deum, quia non sunt idem Humanitas ac Divinitas. Item negabat Virginem esse Matrem Dei, quia Divinitatem non genuit. « Cum Filius Dei duplex sit, inquit, secundum naturas, non peperit quidem Virgo Filium Dei ; sed peperit humanitatem, quae est filius propter coniunctum Filium » (Excerpta ephes. I ; ML. 48, 836). Ubi falso fere omnia dicuntur. — Ex eodem sophismate calumniabatur catholicis, quasi eutichianis, vel naturas confundentibus. — Alio modo fallebat auditores, dum Paulum Samosatenum refellebat, cui Christus est *solus homo.* Dicebat enim Nestorius et vehementer contra Samosatenum asserebat ab initio Verbum fuisse homini Iesu coniunctum. Non attendebant multi, nolunt recentiores quidam attendere, et male distingui a Filio Dei qui factus est homo, hominem Iesum, et falsam admitti unionem : eo zelo affirmandi unionem permoti, ab haeresi Nestorium iniuria absolvunt.

Nova fraude, Nestorius aliquam affirmavit Christi unitatem, sed ambigue ac mutata significatione. Haec enim tria nomina Filius, Dominus, Christus, diversimode apud illum supponunt ; vel pro Verbo Dei, vel pro homine Iesu qui illa nomina participavit ob coniunctionem cum Verbo, vel etiam pro duobus Deo et homine simul acceptis. Primam suppositionem adhibet, cum profert praedicata divina ; alteram, cum humana ; tertiam

cum quaeritur; quot sunt Christi, vel Filii, vel Domini? (Serm. VII; ML, 48, 789, ss. cf. s. Cyr. Alex. de recta fide, n. 12; MG. 76, 1149 s). Tertio modo igitur collectivam unitatem intelligebat, sicut Israel dicitur populus Israelis. « Christus, ait, secundum quod est Christus, indivisus est; et Filius, secundum quod est Filius, indivisus est. Non enim habemus duos Christos vel duos Filios; neque apud nos est primus Christus et secundus;.... sed idem ipse est duplex, non dignitate, sed natura » (Serm. II; ML. 48, 764); ubi tamen meminisse debes toto eodem II sermone ubi haec habet, idem esse Nestorio naturam et personam in ea subsistentem. Ceterum in 3° et 5° anathematismo, quos Nestorius Cyrillo opposuit, scripsit: Si quis non secundum coniunctionem unum dixerit Christum, a. s.; Si quis unum esse post assumptionem hominis naturaliter Dei Filium audet dicere, cum sit Emmanuel (h. e. homo et Deus), a. s. (ML. 48, 914, 915).

Callide etiam ille nonnunquam in Christo concedere visus est personam unam; at moralem intelligebat, nequaquam physicam; quemadmodum unam personam dicere suevimus regem et legatum eius. Itaque ἓν πρόσωπον aliquando concessit; numquam hypostasim unam; nec dicere umquam voluit πρόσωπον καθ'ἑαυτὸν, vel ἰδιοσύστατον, seu personam unam quae per se staret. Morali et iuridico sensu libenter concessit; immo in hoc ponebat unionem, quod dignitas auctoritas sanctitas Verbi in hominem Iesum derivarentur; quo pacto Deus et homo illi erant una persona. Fraudem sensit Cyrillus, et Concilium eam damnavit (can. 1 et 5; D. 113.117).

Haeresim suam ille edidit primo negando Mariam Matrem Dei (Serm. I; ML. 48, 757 ss.). Deinde tempori inservire voluit, affirmando, sed addita explicatione, quod illius esset Mater qui est Filio Dei arctissime coniunctus. Ergo perstitit in errore suo.

II. — Unio hypostatica asseritur.

28. — Tertia veritas maxime spectans ad fidem circa Incarnationem, enunciat unitatem Christi; sive affirmat in duabus perfectis inconfusisque naturis esse unicam Personam, eamque divinam. — Et in hoc necesse fuit haereses esse; sine his fortasse non tam certa neque instans et perspicua fuisset veritatis declaratio, quam revera fuit. Etenim quia Nestorius, nihil errans circa singulas naturas Verbi et Hominis Christi, erravit prorsus in utriusque unione explicanda, unitatem subsistentis diserte asserere Patres et Concilia debuerunt. Quia Eutiches Nestorio opponi voluit, sed non secundum scientiam (atqui, *dum vitant stulti vitia, in contraria currunt*), duarum naturarum distinctionem atque humanae perfectionem defendere opus fuit. — Oportebit autem personam a natura rite discernere. Nam uterque error ex duorum conceptuum illorum confusione processit. Noluit enim Nestorius unam personam agnoscere ubi essent binae naturae; noluit Eutiches duas naturas fateri ubi una esset persona.

Porro ad fidem asserendam, non opus est ab initio expolita notione, quam solers philosophus invenire potest. Et illam ad perficiendam doctrinam exquiremus; nunc vulgaris conceptus sat est, quo personam omnes intelligunt ut *subiectum praedicationum*, utique in natura rationali; cui nempe operationes tribuuntur ac denominationes ceterae, ex qualitatibus intrinsecis atque ex quacumque relatione vel extrinsecus acceptae; est illud denique, de quo praedicantur omnia, et quod de nullo praedicatur. Etiam intelligunt omnes personam esse sui iuris, neque ulli tribui ut illius partem: persona habet et non habetur; per se stat, et non ad aliud pertinet. Eo pacto Petrus est homo et

est albus et est procerus et est musicus et est pater et est dominus. Quod si antiquo more esset servus, utique persona maneret in ordine substantiali atque in humana dignitate: prouti ab alio tamen penderet, iuridice et in mente eorum qui prius nomen personae adhibuerunt, a perfecta personalitate deficeret: deficiebat reipsa in antiquo iure romano. Sed hoc tantum dicimus ad ostendendum ex quo notio personae analogice deducta fuerit. Illud erat in externa hominum aestimatione; nos verum atque entitativum rerum ordinem spectamus.

Accipiendo igitur personae nomen ut est in vulgari omnium conceptu, pro subiecto uno de quo praedicantur operationes, partes, qualitates, cetera quae illi insunt, *dicimus de fide esse per Scripturas certissima, unicam esse in Christo, Deo et Homine, personam, eamque divinam.*

Primo, unica est persona; secundo, divina est.

29. — Primum maxime patet ex duobus Scripturae locis; quibus in Concilio Ephesino contra Nestorium s. Cyrillus Alex. usus est.

Locus primus est in exordio quarti Evangelii: *Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis* (Io. I, 14). Evidenter enim per haec, Verbum est homo. Atqui non esset si altera esset Verbi persona, altera hominis. Ergo una est, non duplex persona. — Patet propositio quod Verbum est homo. Etenim quod fit aliquid, deinde illud est quod factum est. Si homo fit rex, si fit albus, si fit musicus, esse debebit rex, albus, musicus. Porro dicitur Verbum caro factum; nec dubium ea voce *caro* humanam naturam significari, prouti multi Patres asserere debuerunt contra arianos, exhinc arguentes a Verbo assumptam solam carnem sine anima, et prouti ex reliquo Evangelio passiones sensibiles ipsi Iesu tribuente colligitur. Ergo procul dubio post incarnationem Verbum est homo. — Minor etiam est evidens: non enim ulla legitima significatione persona aliqua, quae proprii iuris est, quae per se stat, quae est subiectum praedicationum, potest in recto de alia praedicari. Erit aliquis filius, subditus, amicus, famulus, *alterius:* numquam hic dicetur ille

esse. Quaecumque relatio Paulum Petro devinciat, obliquo casu unus alteri tribuetur, recto nequaquam. Pariter quacumque ratione homo ille Iesus ad Verbum pertineret, inhabitatione, regimine, sanctitate, passione qualibet in se accepta, numquam ideo Verbum homo diceretur. Quod cum sentiret Nestorius Iesum potius Θεοφόρον appellare volebat. Atqui, ut s. Th. monet, quando dicitur *homo est animal,* idipsum quod animal est, homo est; et cum dicitur *homo est albus*, ipse homo esse albus signatur, licet albedo sit extra rationem humanitatis. Ideo nullo modo dici potest quod Socrates est Plato, vel aliquod aliud singulare eiusdem vel diversae speciei (IV C. G., c. XXXIV). — Per gratiam vero et per miram operationem Deus habitavit in sanctis suis; nullo modo in his dictus est incarnari. Idem ergo Deus, idem homo: una persona est.

Locus alter est s. Pauli ad Philippenses (II, 6-7), ubi dicitur Christus, qui erat in forma Dei se exinanisse in forma hominis. Atqui non se ullo pacto exinanisset per quamlibet operationem et habitationem in homine a se distincto: ea ratione immo glorificatur Deus in Sanctis suis. Eatenus vero fuit eius exinanitio, quatenus ipse qui Deus est vocari debuit homo, et homo fuit sive est (C. G. IV, c. XXXIV). Eadem scilicet veritas enunciatur verbis Pauli quae enunciata fuit a Ioanne: *et Verbum caro factum est.* Discrimen est quod verba Evangelii formalius dicunt incarnationem; verba Pauli designant simul immutabilitatem Filii Dei, qui non Dei gloriam abiecit, sed servi humilitatem assumpsit.

Tertio eadem veritas constat ex omnibus iis Scripturae locis, ubi Verbo directe tribuuntur quae non nisi per humanam naturam vera esse et concipi queunt, ac vicissim de homine Christo praedicantur quae divina sunt. Haec autem *idiomatum* ut dicitur *communicatio* absurda prorsus esset, nisi unicum esset praedicationum subiectum, eadem persona Deus et Homo. — Ad exemplum afferimus: *Christus secundum carnem est super omnia Deus benedictus in saecula* (ad Rom. IX, 5). *Descendit de coelo Filius hominis qui est in coelo* (Io. III, 13). *Antequam*

Abraham fieret ego sum (Io. VIII, 51). *Novissime diebus istis Deus locutus est per Filium* (utique ut hominem loquentem), *per quem fecit et saecula* (hoc Dei est); eidemque dictum fuit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (Hebr. I, 1-10). Ille Iesus, *in quo habemus redemptionem per sanguinem eius*, ille est *in quo condita sunt universa* (Coloss. I, 14-21). — Vicissim: *Ecclesia est acquisita Sanguine Dei* (Act. XX, 28). *Vita aeterna, quae erat apud Patrem, apparuit nobis,* eamque Apostoli *contrectaverunt* (I Io. I, 1-2) *Decebat eum propter quem omnia et per quem omnia, auctorem salutis eorum, per passionem consummare* (Hebr. II, 10). Verbum a Patre missum *ingrediens in mundum dixit: hostiam et oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi: tunc dixi: ecce venio* (Hebr. X, 5). — Porro, ea quae sunt propria unius non possunt de alio vere praedicari, nisi hoc aliud sit idem illi priori. Ergo ut allatae Scripturae loquutiones veritatem habeant, idem sit Deus, idem sit homo, necesse est. — Non dicimus certe idem esse deitatem atque humanitatem, sicut nec in nobis anima corpus est; sed nomina concreta stant pro supposito et pro toto, cui directe tribuuntur quae vera sunt secundum singulas partes, etsi una pars de alia praedicari non potest.

Nimis vero patet personam unam Christi ipsam esse personam Verbi, quae aeterna asseritur et cui mutatio in se repugnat; ipse Filius Patris caro factus est, assumendo carnem, non minuendo divinitatem.

30. — Opposuit Nestorius, quod et Moyses constitutus est Deus Pharaonis (Ex. VII, 1); et Israel primogenitus Dei vocatus (Ex. IV, 22). Sed evidens est haec analogice et per adoptionem quamdam dicta fuisse, et quadam praelatione comparate ad alios. — Obiecit iterum quod Christus ipse templum se dixit: *Solvite templum hoc,* etc.; templum vero non est Deo hypostatice coniunctum. Resp.: dist.: et haec metaphora adhiberi potuit pro corpore Iesu vel etiam pro humana substantia, conc.; pro ipsa persona hominis Iesu, nego. Dicebat autem Dominus de corpore suo. Porro corpus Iesu, melius certe quam in ceteris iustis, templum Dei dici potuit, quia pars distincta est,

neque stat pro persona; ipsumque vere Deus singulari prorsus unione inhabitabat. Petrus etiam scripsit: *Certus sum quia velox est depositio tabernaculi mei* (II Pe. I, 14). — Obiecit etiam Nestorius illud Pauli: *In quo* (Christo) *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (Coloss. II, 9). Hic autem suppositum ipsum Christi denominatur, non pars ut prius. Sed reponimus ipsum Christum hic denominari ut illum qui etiam subsistit in natura humana, quam Divinitas inhabitat; non autem prout est Deus, seu primo in divina natura subsistit. Illud *corporaliter* vero alii aliter explicant, quia corpus etiam Christi iunctum est divinae Personae, vel quia veritas spiritualium bonorum in eo est, non umbrae sicut in Veteri Lege, quamobrem commendat Apostolus ne a veritate Christi Colossenses abstrahi se sinant; vel simplicius fortasse ea vox idem significat ac substantialiter, propter unitatem personae.

31. — Eamdem veritatem, qua Iesus Christus ita est unus, ut Filius Dei ipse sit homo, et homo natus ex Maria V. ipse sit Deus, universa traditio Ecclesiae omni tempore explicite professa est.

Primo patet ex Symbolis fidei; quod ab initio animadvertimus. Omnia enim in eo conveniunt quod ipsum Dei Filium natum dicunt de Maria, et reliqua: quod omnino esset absurdum, nisi idem esset subiectum, una persona, cui omnia tribuuntur, quae ex quacumque parte illi competunt. — Praeterea unitatem explicite significare voluerunt qui nomini Iesu Christi, antiquitus posito sine adiectivo ullo, postea vocem illam *unum* addiderunt. Dicimus enim: Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei Unigenitum etc.; quum diceretur prius: Et in Iesum Christum Filium eius unicum. *Unum* positum est ad asserendam unitatem personae, contra Cerinthum et ceteros in Oriente haereticos, variis rationibus solventes Iesum. Quod probe catholici intellexerunt, Nestorio atque Euticheti respondentes. Contra Nestorium scilicet unitatem inculcabant, illi succensentes quod filium Mariae a Filio Dei dividens quaternitatem induceret. Nos, qui naturas distinguimus, quaternarios esse dicebat Eutiches; at responsum est servari unitatem ipsius Christi in

duabus naturis. Etenim « quamvis alia sit natura divinitatis, alia humanitatis, non fit Trinitas quaternitas, quia personarum non naturarum est trinitas, at persona in Christo una permansit ». Ita Ferrandus diac. in ep. ad Anatolium. (ML. 67, 898 s.).

Deinde habemus Concilia. Ephesinum, in quo lecta et probata fuit epistola Cyrilli contra Nestorium, ut nicaenae fidei consentiens. — Chalcedonense, ubi plene tota doctrina exposita fuit (Act. V). — Conc. VI (Constantinopoli) act. XVIII, ubi sufficere rursus dicta est professio fidei nicaena, et Nestorius et Eutiches pariter damnati fuerunt.

32. — Patres etiam in declaranda fidei nostrae regula unanimes fuerunt. — Contra Gnosticos, acerrimus fuit s. Irenaeus: « Discite insensati, quoniam Iesus qui passus est pro nobis, idem ipse est Verbum Dei ». — « Haeretici vero, etsi lingua confitentur unum I. Ch. semetipsos derident, aliud sentientes, aliud vero dicentes; quoniam alterum quidem passum et natum, alterum vero ab invisibilibus descendisse et impassibilem esse confirmant; nescientes quoniam Verbum unitum suo plasmati secundum placitum Patris, et caro factum, ipse est I. Ch. D. N. qui passus est pro nobis ». Haec ille (adv. haer. III, 16; ML. 7, 925). Fuse deinde probat eumdem esse Filium Patris et Filium Virginis; non alium e Patre natum, alium in cruce passum. Damnat blasphemas regulas quae dividunt Dominum, quantum ex ipsis est, ex altera et altera hypostasi dicentes esse factum.

Eodem sensu, nomine totius christianitatis, Tertullianus loquitur. In primis ad Symbolum et ipse appellat. « Regula est fidei, inquit, illa scilicet qua creditur unum omnino Deum esse,... qui universa de nihilo produxerit per Verbum suum,... id Verbum Filium Dei appellatum, in nomine Dei varie visum a Patriarchis,... postremo delatum ex Spiritu Patris Dei et virtute in Virginem Mariam, carnem factum in utero eius, ex ea natum egisse (forte *exisse*) Iesum Christum, exinde praedicasse novam legem...., fixum cruci, tertia die resurrexisse (de Praescript. c. 13; ML. 2, 26). Haec regula, « quae a Christo instituta, nullas habet apud nos quaestiones, nisi quas haereses inferunt et quae haereticos faciunt » (ib. c. 14). Disertius eadem

habet cc. 13, 15, 27 contra Praxeam (ML. 2, 168 ss.). Horum capitum ultimo eos refellit qui alium dicebant Iesum alium Christum, et ad hoc verba Evangelii assumit: *Quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.* « Caro autem, ait, Deus non est, sed ille qui natus est in ea Deus. Igitur Sermo in carne, et de hoc quaerendum quomodo caro factus: utrumne quasi transfiguratus in carnem, an indutus. Transfiguratio enim interemptio est pristini. Omne enim quodcumque transfiguratur in aliud (intellige: quod transmutatur) desinit esse quod fuerat et incipit esse quod non erat. Deus autem neque desinit esse, neque aliud potest esse. Sermo autem Deus, et Sermo Domini manet in aevum, perseverando scilicet in sua forma. Quam si non capit transfigurari, consequens est ut sic caro factus intelligatur, dum fit in carne et contrectatur per carnem. Si enim Sermo ex transfiguratione et demutatione substantiae caro factus est, una iam erit substantia Iesu ex duabus, ex carne et spiritu mixtura quaedam, ut electrum ex auro et argento. Neque ergo Deus erit Iesus: Sermo enim desiit, qui caro factus est; neque caro, i. e. homo, caro enim non proprie est qui caro fuit. Ita ex utroque neutrum est; aliud longe tertium est quam utrumque. Sed enim invenimus illum directo et Deum et hominem expositum sine dubio secundum utramque substantiam in sua proprietate distantem. Sic et Apostolus de utraque substantia docet: *qui factus est,* inquit, *ex semine David.* Hic erit homo et filius hominis, qui definitus est Filius Dei secundum Spiritum. Videmus duplicem statum, non confusum sed coniunctum in una persona, Deum et Hominem Iesum ». Hactenus Tertullianus.

Similiter Origenes in prooemio ad l. de Principiis, compendium ponit doctrinae catholicae; atque *in manifesta et omnibus cognita praedicatione* positum ait, quod I. C., ipse qui venit, ante omnem creaturam natus ex Patre est, qui novissimis temporibus seipsum exinanivit et homo factus et incarnatus est, cum esset Deus, et homo factus mansit quod erat Deus.

33. — Non aliter Patres ceteri, qui ante Ephesinam Synodum scripsere, eamdem regulam fidei explicite declararunt. Unanimes enim nativitatem e Virgine et reliqua humani-

tatis propria Deo tribuunt. S. Clemens, s. Ignatius, s. Polycarpus, auctor ep. quae s. Barnabae tributa fuit, eadem prorsus fide, Iesum dicunt Deum ac Dominum nostrum, factum et non factum, aliaque id genus, ut nos dicimus nostra aetate. Scilicet humana ac divina opponunt, utraque eidem asserentes. — Praeterea unitatem ac distinctionem quae in Iesu est, illi opponunt quae est in Trinitate. Hic est alius et alius; ibi aliud et aliud. « Si quis duos filios, ait Greg. Naz., alterum ex Deo Patre, alterum ex Matre, non autem unum et eumdem induxerit, is ab ea quoque filiorum adoptione excidat quae iustorum propria est. Quamvis enim duae naturae (φύσεις) sunt Deus et Homo, non tamen duo filii. Aliud quidem et aliud sunt ea ex quibus est Salvator, non tamen alius et alius. Porro aliud et aliud dico, contra quam in Trinitate res habet. Ibi enim alius et alius, ne personas confundamus; non autem aliud et aliud, quoniam tres quoad deitatem unum et idem sunt » (ep. CI ad Cledon. I; MG 37, 179). — Docent etiam « humanam naturam in unitatem personae unici Filii Dei singulariter assumptam » (s. Aug. Enchir. c. XXXVI; ML. 40, 250). *Res enim duas in una persona tradit Scripturarum doctrina* (Greg. Nyss. c. Eunomium, l. IV; MG. 45, 617). — Praeterea de initio subsistentiae, quod spectat ad humanitatem Christi, perfectam omnino ut nos habemus doctrinam tradunt. Ita Hippolytus contra Noetum (n. 15; MG. 10, 821 ss.); Epiphanius (haer. LXXVII, n. 29; MG. 42, 684 s.); Amphilochius (serm. in Christi Nat., n. 4; MG. 39, 41 s.). Quae loquutiones, quum apud omnes occurrant, sive per se agatur quaestio, sive forte incidat sermo, ostendunt communem et certam doctrinam.

34. — Ergo neque est concedendum ante Ephesinam Synodum vel saltem ante Nicaenam, dubiam fuisse Patrum mentem, vel obscuram implicitamque fidem. Non negamus loquutionem aliquam ad amussim magis exigi omninoque expoliri potuisse. Negamus vero fuisse incertam doctrinam, vel ulla erroris labe adspersam in Ecclesia Dei circa tantum mysterium rationem loquendi. Constat enim ex ipsis vetustis Patribus, Cyrillum alex. et ceteros Nestorii castigatores clarissima testimonia acce-

pisse, quibus rectam fidem firmarent. Neque aliud Ephesina Synodus statuere debuit praeter haec duo: Unus est Christus, etsi duae in eodem sunt naturae; de eodem Dei Filio divina pariter atque humana sunt asserenda. Atqui haec eadem perspicue ab antiquissimis scriptoribus tradita atque instanter asserta inveniuntur. Nihil ergo addendum fuit, mutandum nihil.

Obiiciunt tamen saepe legi apud veteres quod Verbum hominem assumpserit. Porro homo est ipsa humana persona. — Respondemus et nunc nos dicere: Tu ad liberandum suscepturus hominem. At quidquid sit de optima verborum selectione, unum ea voce significatur, naturam integram hominis esse assumptam. Evidenter enim et explicite ea omnia tenent illi iidem auctores, ex quibus nos deducimus accuratius humanitatem quam hominem assumptam dici. Ita Augustinus in Enchir l. cit. prosequitur: « Ex quo homo esse coepit, non aliud coepit esse homo quam Dei Filius. » Et c. XXXV scripserat: « I. Ch. Dei Filius est et Deus et homo... Deus, quia Dei Verbum;... homo autem, quia in unitatem personae accessit Verbo anima rationalis et caro ». Similiter Ambrosius: Christus « non divisus sed unus: quia utrumque unus, et unus in utroque, hoc est vel divinitate vel corpore: non enim alter ex Patre, alter ex Virgine; sed idem, aliter ex Patre, aliter ex Virgine » (de Incarn. 35;, ML. 16, 827)).

Obiiciunt etiam nonnullos Patres ipsis Nestorii verbis usos esse: συναφείας, ἀναλήψεως, ἐνοικήσεως, Θεοφόρου etc. — Distinguo: iisdem declarationibus, nego; diversis, concedo.

At et mixturam asserunt naturarum. — Resp. pariter, diversa significatione concedo, eadem nego. Etenim ex ipsis Patribus, ut ostendit Petavius l. III, c. II, μίξις, seu mixtio, alia est per iuxtapositionem, ut granorum; altera est intima coniunctione, sed servata uniuscuiusque natura, sicut liquorum, eamque κράσιν, ἀνακράσιν, seu temperaturam vocabant; tertia est corruptione proprietatum, eamque σύγχυσιν vel confusionem dicebant. Hanc porro a Christo excludebant; primam ponebant ad signandam perfectionem utriusque naturae, alteram ad arctissimam coniunctionem. « In illa ergo (humana) persona mixtura

est animae et corporis; in hac (Christo) mixtura est Dei et hominis (vel humanitatis), si tamen recedat auditor a consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri ut neuter servet integritatem suam; quamquam et in ipsis corporibus aëri lux incorrupta miscetur » (s. Aug. epist. CXXXVII ad Volusianum; ML. 33, 520). Similiter Epiphanius in Ancorato, n. 30; MG. 43, 69 s.).

Obiiciunt verba auctoris operis De Incarnatione contra Apollinarem (1,12) qui negare videtur in Christo ἕνωσιν καθ' ὑπόστασιν, ut admittat κατὰ φύσιν. (MG. 26, 1113). — Respondemus agere hic auctorem contra illos qui Verbo Dei carnem aiebant factam esse consubstantialem. Porro, ait, quod est alicui consubstantiale unum est cum illo, vel specifice ut in creaturis, vel etiam numerice, ut in Deo. Secundum hypostasim vero, quod consubstantiale dicitur, manet distinctum, ut Petrus a Paulo, ut etiam Filius ab aeterno Patre. Atqui a Verbo non est seiuncta caro secundum hypostasim. Ergo non est illi consubstantialis. Aliis verbis: *consubstantiale* naturam respicit, minime hypostasim: nihil ergo facit unitas carnis hypostatica cum Verbo, ad illius consubstantialitatem asserendam. Nihil habet Athanasius eorum quae adversarii illi tribuunt, etsi dictio universa eius loci nonnullam habet obscuritatem.

Affertur etiam Chrysostomus, quasi duas personas distinguat. Distinguit utique Filium a Patre, non hominem Christum a Verbo (hom. III in ep. ad Hebr.; MG. 63, 27 ss.). Affert nimirum ea verba: *Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi;* et ex iis infert damnari iudaeos, qui nolunt Filium a Patre discernere, quique nolunt Iesum fateri Deum. Ceterum Chrysostomus idem ad Caesarium scribens (MG. 64, 496), Christum dicit unum Filium Dei, non dividendum in filiorum dualitatem, non alterum et alterum; sed unum et eumdem Dominum Iesum, Deum, Verbum, carne nostra circumdatum.

35. — *Hanc Christi unitatem sive hanc Verbi atque humanae naturae unionem secundum hypostasim factam Concilia definiverunt: quo pacto ipsa unionis hypostaticae affirmatio ad fidei catholicae professionem pertinet.*

Alias distinguere oportebit unionem quamlibet in persona, quae scilicet et accidentia complectitur, ab illa quae stricte dicitur hypostatica, quaeque unitatem postulat ad substantialem ordinem pertinentem. Conciliorum canones et cetera antiquae aetatis documenta *unionem secundum hypostasim* plerumque asserunt; at illam ut stricte hypostaticam accipiendam esse, ex contextu adiunctisque omnibus evidenter patet. Ad illam porro affirmandam ac definiendam, ex multis quae sunt, pauca afferimus, et primo:

Sunt anathematismi Cyrilli contra Nestorium, in Ephesina Synodo accepti et probati. Eorum secundus habet: « Si quis non confitetur Dei Patris Verbum carni secundum hypostasim coniunctum, et unum esse Christum cum sua propria carne, eumdem scilicet Deum et Hominem, a. s. » — Reliquavide in Enchir. a n. 113.

Atqui, opponunt, nominibus Emmanuelis et Christi nequaquam homo Iesus designatur, sed Homo-Deus, h. e. totus Christus, qui ex duobus Deo et homine componitur: duo reipsa sunt. Ita Guenther. Praeterea nonnulli exceptionem fecerunt, Cyrilli eas esse sententias, non Concilii. Respondemus hoc postremum esse contra mentem totius Ecclesiae, quam et s. Gregorius M. testatur (epist. l. VII, ep. 34 ad Eulogium; ML. 77, 892), dicens in actis Ephesinae Synodi Romae et Ravennae solos anathematismos B. P. Cyrilli contineri; quam probat Conc. Later. a. 649, cui idem fuerunt symbolum apud Ephesum 200 Patrum, et capitula de fide B. Cyrilli, quae ipso duce Concilium 200 Patrum definivit. — Quod autem Guenther oggerit, id ipsum est quod Nestorius aiebat, quodque Concilium, affirmando unitatem secundum hypostasim, repulit, damnavit.

Eadem vero prorsus quae in Concilio Ephesino, in Chalcedonensi et in Constantinopolitano secundo, definita sunt. « Confiteri docemus unum eumdemque Christum... in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter, agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturae, et in unam personam atque subsistentiam (εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν) con-

currente, non in duas personas partitum atque divisum, sed unum et eumdem » (D. 148). Item vide Const. II praesertim can. 5. (D. 213 ss.).

36. — Ergo videndum est quid importet unio secundum hypostasim vel unio hypostatica, quae omnino secundum fidem asserenda est. Non quaerimus nunc scholasticam declarationem, quae in diversas sententias abire potest; quaerimus quid sit secundum fidem necessario affirmandum. Porro hypostasim vel personam ad communem mentem dicimus subiectum unum praedicationum, sive illud cui omnia tribuuntur quae ipsi utcumque competunt, partes, attributiones, operationes, relationes quaelibet cum aliis. Ita Petrus habet animam et corpus, et brachia et pedes; ipse cogitat, ipse currit; ipse frater est vel dominus alicuius. Non autem in eodem duo sunt quae seorsim exsistant: non per se stant anima et corpus, non brachia et pedes separatim exsistunt; non alius est qui mente cogitet, alius qui currat pedibus; non ipse sibi frater vel dominus est. Requiritur vere proinde ontologica unitas, sive unitas substantialis. Non ea necessario quae facit naturam unam, sive perfectam substantiam et principium unum motus vel actionis et passionis; nam scimus in Christo eam substantiae vel essentiae unitatem non haberi. Superest ut ab hac praescindentes, eam retineamus quae formaliter spectat ad supposití unitatem, quae nimirum postulat unum subiectum cui denominationes a quacumque eius parte acceptae vere tribuantur. Ita Petrus recte dicitur animatus et recte corporeus. Atque ita Christus est unus, de quo divina et humana vere praedicantur.

Ad hoc autem unio requiritur quae substantialis dici debeat, non autem accidentalis sufficere potest. — Substantialem unionem *formaliter* intelligimus, sive cuius terminus aliquid sit substantialiter unum; non intelligimus *materialiter,* quatenus substantiae iungantur. Immo philosophus, naturali ratione dumtaxat usus, perfectarum substantiarum unionem substantialem agnoscere nequit; unice ille agnoscit compositum ex principiis substantialibus, quorum neutrum, vel saltem non utrumque (quod propter animam spiritualem ponimus) per se exsistit, sed quae

in unum constituendum coëunt, quod primo et per se est hoc aliquid. Ad hoc, ea bina principia, sicut actus et potentia per actum complenda, mutuo se respiciant necesse erit. Perfectae vero substantiae, quorum utraque est per se, duo sunt simpliciter, non unum ens; et solum quadam sibi superaddita relatione coniungi poterunt, influxus, mensurae, positionis, moralis ordinis; aliqua demum denominatione actualitatem addente, quae primam uniuscuiusque supponit, atque ideo est accidentalis. Qua ratione forma quaelibet subiecto iam per se stanti superveniens, et in illud novum actum essendi inducens, accidens est. Semper autem novum esse inducitur a nova forma primam supponente, ubi nimirum *esse* secundum rationes formales distinguitur vel constituitur. Quibus praenotatis, negandum est, quidquid difficultatis philosophus habeat, humanitatem Christi Verbo accidentaliter advenire. Ita enim unitur — quemadmodum ex Symbolis, ex tota revelatione didicimus — ut Deo quae sunt humana, ut Homini quae sunt divina, tribuantur: Deus passus est, Homo est Creator, utique non formaliter, sed subiective et vera praedicatione. Atqui si quae substantiae ita sunt, ut unaquaeque in seipsa simpliciter subsistat, nullo pacto denominationes ab una acceptae alteri competunt. Non quia amicus facit quidquam, illud ego facio; non quia templum Dei erigitur, erigitur Deus; non quia Vir sanctissimus, Deoque utcumque coniunctissimus, moritur, moritur Deus. Ens enim quod per se est, subiectum est attributionum, et ut duo in unum conveniant, quemadmodum duae naturae in unum Christum, oportet ut unum fiant in aliquo ad primam ipsius entis constitutionem spectante. Hoc autem substantiale est, non accidentale: Ergo non accidentalis est unio humanitatis cum Verbo.

Hoc sane Concilia definiverunt, quum reiiciant loquutionem omnem, quae unionem moralem, iuridicam, inhabitationis, regiminis, influxus cuiuscumque, vel in quacumque operationum communicatione sitam, dumtaxat significet. Volunt, contra, unionem illam, qua idem sit Dei Filius et Filius Virginis, utique secundum diversas naturas.

37. — Quaerendum est igitur quaenam perfectarum substantiarum unio doctrina fidei asseratur. — Excludenda in primis est omnis mutatio vel minima ipsius Verbi, cuius absolutae simplicitati nihil nisi relatio rationis accedere potest. Mutatio tota in Christi humanitate esse debet, quae Verbo unita quia ab ipso Verbo assumpta intelligi potest. Non agitur vero de mutatione quae rationem formalem essentiae, quae naturam seu principium operationum afficiat; immo dicitur humana Christi substantia nostrae similis atque immutata permanere. Quo posito, intellectus noster quid praeterea ad substantiam pertinens mutari queat, sua vi non assequitur. Mysterium est quod tamen credimus; minime absurdum. Pertinet enimvero ad substantiam etiam modus quo ipsa exsistere debet. Qui, si naturam sequitur, modus est propriae subsistentiae: definitur enim substantia id cui competit *esse in se*. Huic subsistentiae opponitur in rerum natura *esse in alio* per inhaesionem. At novum est quod fide hic tenemus; novum est, minime contradictorium. Hoc est quod humana natura Christi — cui certe competeret esse in se — neque in se subsistit, neque alii inhaeret (quod omnino repugnat, quia esset alterius forma et forma Verbi), sed in Verbo est, ut a Verbo assumpta, ut pertinens ad illius Personam, denique ut illius subsistentiam participans. Non est in hoc contradictio: quia etsi substantia connaturalem modum subsistendi per se postulet, non tamen illud in sua formali ratione includit; quemadmodum et accidenti competit inhaerere, etsi non formaliter ipsa qualitas sit sua inhaesio. Si vero formaliter distinguuntur, sine immediata eaque evidenti contradictione potest alterutrum servari, alio mutato. Quod autem neque subsequens, seu neque arguendo deducta asserti mysterii absurditas lateat, ex obiectionum solutione patebit. Accipiamus ergo a fide id per divinam omnipotentiam in Christo factum esse.

Porro unio haec prorsus singularis, qua substantiae in sua essentia immutatae subsistentia superioris Personae eam ad se trahentis tribuitur, propria voce dicta est unio *hypostatica*. Nunquam alibi invenitur nisi in Christo; adeoque respectu divinae Personae id fieri posse scimus; ad creatam vero, subiectum aliud

trahi posse nescimus. Quod si anima et corpus hominis in unam personam conveniunt, habemus utique unionis Christi minus remotam imaginem, non tamen eiusdem rationis; quia, priusquam sit homo una persona, una natura est, et unumquodque e componentibus imperfectum est, et anima est proprio sensu forma corporis, quod in unione hypostatica, seu primo et per se personam respiciente, locum non habet.

Hoc autem omnino est quod a Conciliis asseritur, cum dicitur una esse, eaque divina, Christi Persona, in qua duae naturae conveniunt. Satis sit legere s. Cyrilli sive Concilii Ephesini anathematismos, et quae Chalcedonense et Constpñum II contra Eutichem statuerunt. Dicitur nimirum in Christo una esse hypostasis qui est D. N. I. C., *unus de Trinitate* (Const. can. 4; D. 216) dicitur utraque natura in unam personam atque hypostasim cucurrisse, quae est Unigenitus Dei, Verbum (Chalced; D. 148). Et caro Christi dicitur esse caro ipsius Verbi, et vivificatrix esse, quia facta est propria Verbi, cuncta vivificare valentis (D. 123).

Haec, inquam, ut ad fidem spectantia defendi debent, quidquid sit de magis determinata mysterii declaratione, quam deinde exquiremus. — Hanc modo veluti ignorantes, ex divina revelatione tantum accipimus Iesum Christum esse Filium Dei Unigenitum consubstantialem Patri; esse hominem verum et integrum, Mariae Virginis Filium; unum esse in persona.

Ex quibus iam nunc deducimus, cum fide catholica stricte et necessario connecti doctrinam quae affirmat non omnino idem esse naturam ac personam, easque ratione saltem differre. Ratione differunt in ipso Deo, prouti scimus non immediate ac formaliter divinae Naturae, quae etiam est Pater et Sp. S., iunctam esse humanitatem Christi. Sed plusquam sola ratione differunt in humanitate, quae in sua subsistentia ita mutata est, ut non ipsa sit per se, neque in se sit homo; at per ipsam homo sit Verbum Dei. In hoc situm est Incarnationis mysterium.

38. — Contra hoc tamen non pauca movet humana ratio quae sibi videtur absurdum videre. Et quamvis obiectionum

melior solutio ulteriorem declarationem sequetur, iuvat tamen et nunc, quoad eius fieri potest, respondere, in eo scilicet sistendo quod fides asserit, quin ad sententias veniamus non omnibus receptas. Sunt autem fere obiectiones quas proponit s. Thomas c. XL, l. IV C. G. et quas diluit c. XLIX.

Primo opponitur quod nequeunt duae perfectae substantiae in unum simpliciter convenire. Porro Verbum et humanitas perfecta sunt. Ergo repugnat ut sit unus Christus, nisi aliqua accidentali ratione. — Respondetur distinctione. Duae substantiae perfectae nequeunt unum simpliciter constituere, secundum ipsam rationem substantiae seu naturae, in qua sunt perfectae, conc.; in ratione personalis subsistentiae, subdist.; si ambae sunt eiusdem ordinis et finitae, ita ut neutra ad aliud sua subsistentia extendi possit, conc.; si alterutra sit infinita, ita ut ad ipsam alia trahi possit, negamus apparere evidentem contradictionem, et hoc ad fidem satis est.

Quid infinitas ad hoc? — Respondeo multum huc facere propter ea quae de persona vel de supposito scholastice disputando dicemus; iam nunc etiam iure infinitatem advocari, quia certe in obiecto nostras mentes excedente nemo videt absurditatem, quam in assumptione perfectae substantiae ad aliam finitam substantiam non iniuria quis fortasse dicet se perspectam habere.

Secundo: Quod advenit enti perfecto, accidentaliter ei iungitur. Atqui natura humana advenit Verbo perfectissimo. Ergo accidentali iunctione. — Resp. dist.: Si non trahitur ad ipsum primum esse perfecti, conc.; si trahitur, nego. Ita in hominum resurrectione corpus animae adveniet, minime sane accidentaliter, quia trahetur ad primum actum quo anima naturam habet suam et quo subsistit. Pariter Christi humanitas ad ipsam Verbi subsistentiam participandam assumitur.

Tertio: Neque Deus corpus est, nec virtus in corpore. At si corpus assumpsit, videtur vel mutatus in corpus, vel esse ut virtus in corpore. Ergo absurdum. — Conc. propositionem primam. Ad assumptum, negamus utrumque. Neque enim Deus mutatus est in carnem quam assumpsit, nec illi iunctus ut forma

recepta in materia. Assumpsit, efficiendo ut caro, sive humana substantia, ipsam Verbi subsistentiam participaret.

Quarto: Omne quod acquirit novam naturam, substantialiter mutatur: in acquirenda enim nova natura generatio sita est. Atqui Verbi Dei mutatio omnis, eoque magis generatio substantialis, repugnat. — Sed respondetur totam mutationem esse in humana natura, a qua Verbum, quod sine ulla sui mutatione assumpsit, denominatur.

Quinto: Rei unius non est nisi unum *quod quid est:* hoc enim significat substantiam rei, quae unius una est. Sed natura cuiuscumque rei est illius *quod quid est:* naturam enim significat definitio. Repugnat ergo duplicis naturae hypostasis una. — Dist. M.: Rei unius est unicum *quod quid est,* quo simpliciter in suo esse constituitur, conc., si per suum esse ad aliud extendi potest, necessario est unicum *quod quid est,* sive unica natura, nego. Porro Verbum Dei sola divina Essentia simpliciter in se constituitur; minime humana, quam assumpsit.

Sexto: In simplicibus, et maxime in Deo, non est aliud *quidditas* et aliud *quod est,* sive hypostasis. Atqui repugnat ut substantia humana sit idem quod divina hypostasis. Ergo non est hypostasis divina, naturae humanae. — Dist. M.: non potest aliud esse a divina hypostasi id quo primo haec constituitur, conc.; id quod fortasse ad illam assumitur, nego.

Septimo: Natura respectu hypostasis simplicior et formalior est. Atqui repugnat ut quidquam formalius sit hypostasi divina. — Resp. eodem modo ac supra: natura qua hypostasis primo constituitur, conc.; quae fortasse ei additur vel ad eam trahitur, nego. Verum est autem hypostasim minus simplicem esse sua prima natura vel re vel saltem ratione: re quidem, quando hypostasis naturae addit principia individuantia; ratione tantum quando nihil addit, ipsaque natura subsistit. In creaturis tamen connotat praeterea et esse et accidentia; in Deo nihil, nisi fortasse relationem, iam ipsi naturae identicam.

Octavo: Hypostasis humana materiam signatam includit, quae praeter intellectum est humanae naturae. Atqui repugnat ut divina hypostasis signata materia constituatur — Resp.: re-

pugnat eam materia constitui ut divinam hypostasim, conc.; ut praecise est hic homo, nego.

Nono: Nulla hypostasis extenditur extra suam naturam, quum potius natura sit intra hypostasim, quae fortasse alia continet naturae superaddita. Si igitur Verbum Dei factum est humanum suppositum, extra suam humanitatem non extenditur. Atqui humanitas Christi non est ubique. Ergo nec Verbum Dei, quod repugnat. — Respondeo illud *extendi* ambiguum esse. Vel stat pro actuatione alius substantiae; vel pro quacumque praesentia, ubi non est natura ad eam personam spectans. Primo modo sic distinguo: Extendi nequit ad naturam alteram persona finitae naturae conc.; infinitae, nego. Secundo modo dico: Non extenditur extra naturam qua constituitur, conc.; extra naturam quam sibi assumit, nego.

Contra: Si Verbum Dei est homo, ubique est homo; ergo ubique est sua humanitas. — Dist. antec.: Ubique est homo per denominationem acceptam ab humanitate quae est alicubi, conc.; per mutationem naturae Verbi, vel per absurdam actionem, qua ubique ponatur humanitas, nego.

Decimo: Anima et corpus in Christo non sunt minoris virtutis quam in aliis hominibus. Sed in aliis ex sua unione constituunt personam. Ergo et in Christo. — Nego suppositum, minoris esse virtutis efficere ut Verbum sit homo quam efficere ut sit humana persona in se subsistens. Nihil ergo deest, quominus illa substantia anima et corpore constans sit persona; sed persona non est, quia assumpta est a digniori. Unumquodque autem melius est in altiori quam in seipso.

Instant, aiendo ex hac anima et ex hoc corpore constitui hunc hominem, qui est haec hypostasis. Ergo et humanitas Christi est persona. — Eadem tamen responsio est; quia revera esset haec persona, nisi ad personam Verbi traheretur.

Iterum instant: Substantia humana Christi non est universalis; ergo singularis; ergo suppositum. — Conc. antec.; conc. primum consequens, sed nego secundum: quia singulari illa substantia constituitur homo, sive humanam naturam habens ipsum Verbum. Ceterum etiam in humanis suppositis, non natura for-

maliter subsistit, sed id quod in ea subsistit, ut Sortes vel Socrates. Quod enim substantia sit et particularis, non eo formaliter constituitur ac significatur, quo hypostasis dicitur particularis substantia. Substantia nempe dicitur dupliciter: scilicet de subiecto in genere substantiae, sive de hypostasi, et de eo *quod quid est,* sive de natura rei. Non idem haec duo formaliter sunt. Naturaliter utique simul sunt; misteriose in Christo Domino seiunguntur.

Undecimo: Si idem est suppositum humanae ac divinae naturae in Christo, sequitur ad rationem hominis Christi pertinere divinam hypostasim. — Hoc autem est praeter communem rationem hominis. Aequivoce ergo homo erit Christus respectu ceterorum hominum, contra id quod dicitur esse eiusdem speciei vel naturae. — Dist. primum assertum: Sequitur diversam esse suppositionem nominis cum homo dicitur Christus, conc.; sequitur diversam esse formalem significationem, nego. Haec enim semper refertur ad humanam naturam, secundum principia speciei. Ita etiam aequivoce dicerentur homo Sortes et Socrates, si individuatio alterutrius significationem nominis homo ingrederetur. At non ingreditur, neque illam formaliter mutat, etsi mutatur suppositio.

Duodecimo: Omnis unio terminatur ad aliquod unum, quod est posterius ipsa unione. Sed unitas personae Verbi posterior esse nequit unione cum humanitate. Ergo huic uniri non potuit. — Dist. mai.: unio terminatur ad unitatem posteriorem, quae per unionem obtinetur, conc.; quae unioni praesupponitur, nego. Contradist. min.: Unitas Verbi non potuit esse posterior unione, prout est unitas absoluta divinae Personae, conc.; prout Verbum dicitur unitum humanitati ac dicitur homo, nego. — Dist. cons.: Non potuit unione constitui unitas divinae Personae, conc.; non potuit obtineri quod Verbum esset unitum humanitati et sic esset homo, nego.

Tertiodecimo: Unio importat aliquod additum. Sed nihil addi potest simplicitati divinae. Ergo in persona divina non potest esse unio. — Dist. mai.: unio quae constituat illud cui tribuitur, conc.; quae non constituit, sed illud extendit ad aliud,

nego. — Dist. par. cons.: Non potest esse unio quae constituat divinam personam, conc.; quae illam ad aliud extendat, nego.

Quartodecimo: Quae sunt diversi generis in unum convenire non possunt, nisi forte per accidens: non enim ex linea et albedine fit unum. Atqui Verbum est extra omne genus. Non ergo potest rei creatae coniungi multoque minus cum illa efficere unum per se. — Dist. mai.: Non possunt convenire in unam naturam, conc.; in unum suppositum, nego. Ita quantum et album sunt unum supposito.

Decimoquinto: Nihil quod comprehenditur sub alio, extendit se ad aliquid extrinsecum; sicut quod comprehenditur loco non est extra locum. Atqui Verbum comprehenditur sub divina natura, ut ipsius suppositum. Ergo ad aliam extendi nequit. — Dist. mai.: si illud extrinsecum reipsa est extrinsecum et non sub primo continetur, conc.; si sub illo primo continetur, nego. Conc. min.: Nego consequens, quia omnis finita natura sub divina infinitate continetur.

Decimosexto: Unio Verbi cum humanitate similis est unioni animae cum corpore. Atqui anima non est persona corporis. Ergo nec Verbum humanitatis. — In hoc negatur paritas, vel etiam similitudo; quia anima cum corpore constituit primo unam naturam et consequenter personam; Verbum autem persona est ad se trahens humanitatem. Verbum scilicet omnimodam habet in se uno perfectionem, non item anima, quae non omnem actualitatem hominis per se exercere potest.

III. -- Quaestio de subsistentia.

Mysterium a nobis credendum hoc est: in Christo Iesu Deum esse humanae substantiae ita coniunctum, ut idem sit Deus qui etiam est homo, et unica sit persona de qua divina atque humana enunciantur; ita denique ut Deus vere sit filius Virginis Mariae, et Homo vere sit Filius aeterni Patris. Veritas haec, quam christiani omnes fide tenemus, exponi solet asserendo unionem hypostaticam, sive assumptionem inferioris naturae, quae hic humana est, ad superiorem Personam, quae est divina. Unio scilicet hypostatica est *duarum naturarum in ordine essentiae perfectarum coniunctio, non in naturam quandam compositam, sed in unitatem praeexsistentis personae primo terminata.* Persona demum est suppositum rationalis naturae; suppositum vero, ut vulgus intelligit et scholasticas disputationes praevertit, est subiectum unum per se stans, de quo omnia praedicantur et quod non de alio praedicatur. Ita omnes intelligunt per se stare hunc lapidem, hunc equum, hunc hominem; norunt omnes Petrum recte dici et hominem et tricubitum et album et doctum et iustum, et pati et agere, et esse natum et esse moriturum; ipsi nempe recte tribui quae vel per se vel per accidens huic homini competunt; eumdemque tandem modis omnibus a Paulo discerni, quaecumque relatio seu necessitudo unum alteri devinciat. Sub illa unitatis notione, christiani quotquot sumus unum dicimus Iesum Deum et Hominem, atque unitatem hanc fide divina asserimus.

Atqui si fides quaerit intellectum, videndum superest qua ratione conceptus in proposita assertione assumpti pressius atque exactius efformari queant, ut ipsa fidei affirmatio, vel magis sit determinata, vel per analogiam cum his quae natura novimus,

vividius illustretur. Obiectum enim nostrae fidei in hac vita enunciationibus continetur, quum pro nobis in componendo ac dividendo sit veritas. Porro harum enunciationum elementa, seu termini, naturali cognitione percipiuntur, et voces etiam ad humanum sermonem pertinent; non enim linguis angelorum loquimur, nec Paulus dicere potuit quae ad coelum raptus audivit. Novus autem est nobis qui revelatione traditur modus componendi terminos vel conceptus quos natura suggerit; quam compositionem in proprii nominis mysteriis, cuiusmodi sunt Trinitas et Incarnatio, neque humana ratio, immo nec mens angelica, suis viribus esset unquam suspicata. Vulgares itaque naturalesque notiones expolire oportet, quas divinitus edocti, non naturali ducti ratione, iungere valemus: hic etiam theologi labor est.

Porro, quod ad mysterium Incarnationis spectat, praecipua notio quam accurate perpendere magni refert, notio personae est. Persona autem tantum aliquid ad dignitatem pertinens addit supposito. Suppositum dicitur per se subsistens: ergo de subsistentia quaerendum est. Volunt quidam hanc ponere in sola totalitatis ratione, quin actum entitativum addant, secundum quem totum vel pars habetur. Volunt alii modum asserere substantiae additum, quod haec propriae subsistentiae subiectum constituatur. Modum qui exsistentiam, non secus ac realem substantiam, sequitur, alii ponunt. Non aliud illam esse quam substantiae propriam exsistentiam nos contendimus. His fere ordinem tractandarum rerum assignavimus.

Articulus I.

Utrum persona idem sit quod suppositum.

Videtur esse prorsus idem. Suppositum enim est singulare positum sub natura communi. Atqui persona, quae ad singularia refertur eodem modo est sub natura communi. Ergo persona et suppositum idem sunt.

2. Videtur contra prorsus esse diversum quid. Nestorius enim aliquando unam personam dicere Christum ἓν πρόσωπον

passus est; unum vero suppositum, μίαν ὑπόστασιν, perpetuo negavit.

3. Praeterea tres opiniones de Christo enumerat Magister, quarum prima humanitatem in Illo esse per se suppositum a Verbi persona distinctum asserebat, minime autem distinctam personam. Atqui sententia illa ut opinio tolerabatur, non ut haeresis reiiciebatur. Ergo non repugnat suppositum humanitatis haberi, quin habeatur persona.

Assertio. *Persona non aliud est quam suppositum intellectualis naturae.*

Ratio loquendi scilicet ab usu accipienda est. Nunquam autem quamcumque rem, in se exsistentem, non autem ad naturam rationalem pertinentem, personam vocamus; hominem contra ea voce designamus. Non tamen naturae ipsi nomen illud apponimus, nec substantiam secundam, vel naturam universalem seu specificam, personam dicimus: substantiam vere singularem, quae non tantum homo est, sed hic homo, individuatione et concretione sua in se constitutam, personam esse intelligimus. Quapropter nomen hoc potest esse commune, prout multis applicatur; non vero quia significet aliquid abstractum et commune, sicut communis est natura, quae in sua significatione singularitatem atque individuam determinationem non includit. Persona includit, estque proinde communis ut *individuum vagum,* quod in unoquoque importat quidquid in ipso est, non ut *universale,* quod a differentiis suae formali rationi additis praescindit. Eadem ratione singulare in quacunque natura subsistens suppositum vocatur. Est ergo persona rationale suppositum.

Iure autem prae ceteris rebus natura intellectualis suo individuo peculiare nomen vindicavit. Si enim spectamus hoc quod est in se consistere atque a ceteris secerni, quod singularis substantiae proprium est, excellentiori prorsus ratione id intelligenti praeter alia cuncta competit. Intelligens nimirum finem sibi assequendum statuit, et se ad singulas actiones movet; easque et res ceteras, a quibus se distinctum novit, ad proprium bonum ordinat, iusque suum sibi vindicat. Ex quibus fit ut causae efficientis et finalis in seipso, quod utique formam consequitur

suae naturae, perfectiori prorsus singularique modo rationem habeat; iis scilicet ipsa ratio formalis suppositi et in se stantis omnino completur. Bene igitur suppositum rationale a ceteris suo nomine secernitur, ac persona dicitur, quod nomen est ad dignitatem pertinens.

Huc spectat, si placet, origo vocis. Cum enim in magnis theatris sub dio positis tragoedorum vox instrumento aliquo ante os faciemque posito, quod graeca voce πρόσωπον innuitur, validior vel magis resonans seu *personans* redderetur, dramatis *personae* (syllaba producta) non ipsi actores, sed qui fingebantur esse, vocari coeperunt. Cum praeterea non nisi celebres viri in scena exhiberi suevissent, personae nomen (italice *personaggio*) dignitatis significationem accepit. Hinc ad eos designandos qui pro se stare in iudicio possent atque ita sui iuris essent, vox deducta est. Denique, mancipiorum et liberorum ablato discrimine, pro quocumque nostrae naturae subiecto adhiberi consuevit. Sicut proinde ceteras inter res naturae homo eminet, sic unus ille e corporeis substantiis persona vocatus est.

Hinc patet distingui personam a supposito fere ut speciem a genere. Quamobrem non, in uno eodem cui utrumque competit nomen, sicut idem est homo qui animal, unum ab altero re differt. Comparate autem ad mysterium nobis propositum, nulla ex parte intellectualitatis vel dignitatis difficultas erit; magna autem erit in duarum naturarum singulari subsistentia declaranda. Proinde non de constitutione personae, at de subsistentiae propria ratione ac suppositi constitutivo, quaestio vel disputatio pertractanda nobis occurrit.

Ad primum autem quod obiiciebatur, dicimus convenire personam cum supposito in singularitate, differre in dignitate subiecti.

Ad 2^um^ dicimus personae nomen, cum dignitatem dicat, ad vindicandi iuris capacitatem facile transferri; ideoque per analogiam a singulari subiecto ad collegium multorum qui ius commune habeant, ut si unus essent omnes. Simili etiam ratione legatus regis dicitur sui principis personam gerere. Qua notione abusus Nestorius, fingebat personam unam se in Christo

fateri, moralem utique, non physicam; suppositum vero unum negavit. Voluit per hoc, sed non potuit, sui temporis accusatores eludere; potuit nostri temporis quos nactus est defensores decipere.

Ad 3^um^ dicimus haereticam esse, non secus ac nestorianam, doctrinam illam quam aliqui mediae aetatis scriptores protulerunt; sed quia illi catholicam fidem ignari laedebant, nec statim ab Ecclesia reiecti sunt, eorum sententia aliquamdiu opinio dicta est.

Articulus II.

Utrum suppositum bene definiatur: *subsistens distinctum.*

Videtur non recte sic definiri. Nomen enim suppositi logicum est, ac dicit *sub specie positum*. Atqui in data definitione nihil innuitur ad logicas intentiones pertinens.

2. Praeterea nulla est ratio mutandi vetustiorem notionem, qua persona dicta est *rationalis naturae individua substantia*; unde sequitur suppositum esse cuiuscumque naturae individuum. Atqui iterum *individuum* a logicis accipitur, per oppositionem ad *universale*. Ergo notio suppositi non recte assignata est.

3. Praeterea, ipsa substantia prima, suppositum est. Atqui substantia prima secundae nequaquam opponitur per subsistentiam; quin immo haec rationem ipsam abstractam substantiae sequitur, ac, teste post Boetium Angelico, prius competit substantiis secundis. Ergo simpliciter suppositum substantia prima dicendum fuit, et non aliter describendum, nec praesertim per subsistentiam.

4. Praeterea anima hominis separata subsistit, estque a ceteris distincta: cur ergo suppositum non est?

5. Denique Essentia Dei absoluta maxime subsistit, maximeque ab omnibus ipsa sui esse puritate secernitur. Ergo absoluta persona esset praeter tres relativas. Non igitur recte suppositum dicitur omne subsistens distinctum.

Sed contra est quod S. Thomas pluries habet, et praesertim in art. IV q. IX de Potentia, ubi formalem rationem personae explicat, eamque, ab intellectuali natura praescindendo, in hoc ponit omnino, quod sit *subsistens distinctum*. Haec est ergo suppositi notio accurata.

Assertio nostra haec eadem est: *Optime suppositum definitur:* **subsistens distinctum.**

Quae veritas, quum de assignanda significatione nominis agatur, declaratione magis quam probatione indiget. Missa ergo, quaecumque ea sit, vocis origine, suppositum vocamus quod in rebus perfectissimo modo esse habet. Non hic perfectionem spectamus quae ab essentia venit, quo pacto arbor melior est lapide, homo bruto; sed modum quo designatae rei suum esse tribuitur, prouti hoc plene ac perfecte et illam spectat. Qua ratione optime exsistit subiectum, de quo omnia enunciantur quae in re sunt, quia sunt in illo et ad illum pertinent; ipsum vero nulli tribuitur, tamquam res alterius, vel sicut in alio exsistens. Sapientia hominis melior est quam stirps; haec tamen in se est, illa inest animae.

Itaque quod in se exsistit, ut quid in sua natura perfectum, suppositum dicimus. Illud est, in quo ipsam naturam veritatem habere intelligimus; illud cui inhaerent accidentia omnia, et a quo secundum naturalem virtutem operationes procedunt; illud in quo sunt partes, sive essentiales, ut materia et forma, sive integrantes, ut membra viventis, vel in quas continuum dividi potest; illud denique cui esse tribuitur, licet huius esse mensura et modus ab essentia accipiatur. Essentia enim illud est, secundum quod unicuique suo modo esse competit. Haec omnia igitur ad illud pertinent, quod perfecte in se est, et in quo sunt: primo ipsa natura, ut ipsum constituens; deinde partes omnes; deinde accidentia, sive permanentia ut facultates, sive fluentia ut operationes; ipsum denique esse; quae omnia proinde praedicantur de illo ut quae ipsum habet, ipsum vero de nullo praedicatur. Hoc est suppositum.

Iamvero quod ita in se est, *subsistere* proprie ac simpliciter dicitur; cetera quae illi competunt, *esse* utcumque affirman-

tur; sunt nimirum, ut essentia suppositi, ut accidentia ut partes ut actualis exsistentia; subsistere non dicuntur. Et merito peculiari voce designatur esse entis illius, quod primo ac per se est, dum reliqua sunt ut in illo exsistentia; sicut ipsum subiectum plura fert nomina, quorum praecipuum nunc evolvimus, nempe *suppositum*. Iure igitur suppositum, singulari ratione ac propria voce, *subsistens* dicitur.

Iuverit tamen hic animadvertere vocem hanc *subsistens*, non secus ac vocem *ens*, nominaliter et fere participialiter accipi posse. Nomen praescindit ab actione exercita, et significat tantum rationem formalem: quo pacto *subsistens* dicit id cui competit subsistere, sive esse non in alio; *ens*, communius significat id cuius actus est esse: neutrum innuit exercite haberi esse vel subsistere. Participium vim etiam habet verbi, quod actionem, vel quodcumque exercitium, designat, sive in ordine possibilium, sive in ordine rerum extra causas positarum. Eo pacto ens complectitur, vel saltem connotat ut sibi additum, actum quo est; et similiter subsistens, actum quo subsistit; nec satis esset accipere tantum id cui competit ex natura sua actus exsistentiae vel subsistentiae. Porro non in vi tantum nominis designantis essentiam cui suus actus connaturaliter competit; sed in vi participii, minime asserentis exercitium actualis exsistentiae extra mentem et extra causas, at rem designantis etiam in ordine possibilium, connotantis autem proprium actum quo substantia in se exsistit, et nequaquam in alio, seu natura seu portento et mysterio, quomodocumque positae, suppositum dicitur subsistens.

At eadem ratione proprie etiam dicitur *distinctum*. Eo ipso enim quod reliqua ipsi tribui debent, inque ipso sunt, vel nullam vel imperfectam distinctionem habent, eodemque pacto diminute sunt *una* quo diminute sunt *entia;* scilicet ut entis principia, vel partes, vel modi sive accidentia. Praesertim cum subiecto communicant in ipso *esse*. Nam per accidentia subiectum secundario *est*, vel sic dispositum vel sic operans; partibus in sua compositione vel in sua integritate constituitur, eaedemque in uno *esse* subiecti conveniunt; natura est, prout ipsum subiectum formaliter per eam determinatur; ipsum *esse*, ut actus quo realiter

subiectum est. Partes igitur quae sint eiusdem rationis, potentia, non actu distinguuntur; dividi etiam possunt, qua divisione, unaquaeque pars suum esse acquirit. Partes vero essentiales vel etiam organicae, non actu exsistentiae, qui toti communis est, at diversis formalibus rationibus opponuntur ac distinguuntur, et ipsae per separationem nova actualitate exsistunt. Bene igitur subiectum integrum, cuncta in se habens quae diversimode illud constituunt, atque illius esse participant, in se unum atque ab aliis seiunctum, ut Petrus a Paulo, ut equus meus a tuo, perfecta ratione exsistere dicitur, perfecteque a ceteris distinguitur: quapropter iure meritoque *subsistens distinctum* definitum est.

Non aliud in creatis naturis esset quaerendum. In iis nimirum distinctio, quae formaliter est secundum actus quibus actuatur ens, necessario sequitur essentiam ipsam, qua esse determinatur. Et si agitur de essentia accidentali, illa quidem proprium esse affert, quod subiecto addit; si de essentia substantiali, omnino per se stat et in se habet esse, unitatem, distinctionem. Porro communitatem vel distinctionem secundum esse sequitur praedicatio, qua nempe unicuique tribuitur quod suum est, scilicet quod ipsum est vel ad ipsum pertinet. Propterea datur tamquam suppositi propria nota ut sit *incommunicabile,* ut scilicet non de alio nec de pluribus legitime praedicetur. Eo pacto accidentia et partes quae esse habent in subiecto vel in composito, huic in esse et in praedicatione communicant. Anima hominis vel actu communicatur vel communicari postulat corpori. Maxime remota sunt ab incommunicatione universalia, quorum proprietas prima est praedicari de inferioribus. Itaque communitas universalis, accidentis, partis, vel actu vel aptitudine, supposito repugnat. Et haec adnotasse sufficeret, si naturae ordinem dumtaxat spectaremus, ubi esse prorsus essentiae commensuratur, et hanc proinde distinctio subsistentis sequitur. At nova prorsus ratione fides nos edocet Essentiam quae idem est cum suo Esse, nempe divinam, quin Ipsa vel Esse suum multiplicetur, pluribus relatione oppositis communicari; deinde ipsum Esse divinum, prouti saltem in hac vel illa Persona huius Personae modum proprium habet, creatae substantiae communicari;

ita tamen ut non divina Persona suae distinctionis quidquam perdat, sed creata substantia ut ad illam pertinens eidem tribuatur. Quo fit ut haec substantia non sit amplius in suo esse et in praedicatione distincta, at exsistat ad modum partis ad Personam assumentem spectantis.

Ex his universim patet *subsistens distinctum* perfectam exhibere notionem, quae omni et soli supposito competit.

Ad 1^{um} vero quod obiiciebatur, suppositum esse nomen logicum, concedimus eam fuisse primam vocis originem et vim, prout singulare *sub* communi natura *ponitur*. Hic autem non de logicis intentionibus disputatio est, nec res naturae nunc spectamus, ut in praedicamentis ordinatas; at ipsum subiectum prae oculis habemus, quod ratione suae essentiae poterit accipi ut individuum speciei, idemque, et in seipso seorsim positum, agnoscimus ac dicimus subsistens distinctum.

Ad 2^{um}, quo dicebatur servanda personae vetus definitio, respondemus, clarius per verba s. Thomae exhiberi, quod per Boetii verba innuebatur. Melius enim *subsistens* dicimus quod voce *substantia* Boetius significabat. Etenim *substantia* solet potius ad essentiam referri, quae accidenti opponitur, atque id dicit cui competit suo modo esse; quid autem si modus naturae competens miraculose aufertur? Natura eadem manebit, ac propterea id quod *substantia* dici solet; non idem manet quod suppositum respicit. Contra *subsistens* non significat tantum modum qui rei competit exsistendi; at ipsum actum subsistendi, sive exsistendi in se, prouti substantia postulat, sive illum actum formaliter includat, sive ut vere habitum connotet. Quamobrem humanitas Christi utique *substantia* est (etsi sensu minus pleno quam in Boetii verbis oportet accipere), non autem est *subsistens*. — Deinde, quod in veteri definitione *individuum* dicitur, melius a nobis dicitur *distinctum*. Iterum enim individuum ad exigentiam referri videtur, potius quam ad actualem separationem. Per se dicit singularitatem, cui, si quid addit, addit intentionem logicam, comparate ad speciem. Porro verum est singulari substantiae, in finitis rebus nequaquam competere ut alterius sit, sive alii tribuatur, sive de pluribus praedicetur. At quid si myste-

riose aliud est credendum? Iamvero ea voce *distinctum* clarius exprimimus subiectum, cui illam tribuimus, et non esse alii communicabile ad modum partis, et non posse de pluribus enunciari; id ipsum denique esse, de quo cetera enunciantur. Quod in utroque mysterio Trinitatis et Incarnationis, optime servari comperimus. Si quis ergo definitionem veterem oggerat, responde *substantiam* esse pro *subsistentia* concrete accepta, sive pro eo quod subsistens est; *individuum,* non pro singulari speciei comparato, at pro eo quod ultimo a ceteris, vel secundum esse in creatis, vel secundum relativam oppositionem in divinis, distinguitur; melius ergo, quin sit opus addendae explicationis, nos dicere: subsistens distinctum.

Ad 3^um^, quo ipsa substantia prima suppositum vocabatur, reponimus non male id fieri, si de entitativa realitate sit quaestio, atque ab obedientiali potentia, rationi impervia, qua scilicet tantum non repugnat ut singularis substantia ad Personam divinam assumatur, abstractio fiat. Vere enim suppositi et substantiae primae eadem est apud philosophos definitio: *quod de nullo praedicatur et de quo praedicantur omnia.* Angelicus quoque Doctor, cum quaerit utrum *substantia* in boetiana definitione stet pro substantia prima vel pro secunda, respondet nomen illud praescindere ab utraque, et per vocem *individua* contrahi ad primam. Concedit ergo individuam substantiam idem esse ac substantiam primam (I p. q. XXIX art. I ad 2^m^, et alibi pluries, ubi idem tractat). Scilicet substantia prima subiectum est quod primo in rebus exsistit et primo obiicitur cognitioni nostrae sensibus quidem, ut concretum qualitatum sensibilium, intellectui vero secundum rationes formales, quas novimus in subiecto ipso reales exsistere; quamobrem subiectum singulare oblique intelligimus, tamquam illud *in quo* sunt formae quas directe apprehendimus ut abstractas, quo pacto sunt capaces intentionum universalium. At natura universalis in singulari tantum esse habet; scilicet in eo quod est res naturae, in eo quod dicimus suppositum. Neque hanc sanae philosophiae doctrinam mutat fides. Quod ad Trinitatem attinet, extra omne genus illa est, novoque prorsus modo personae, seu subiecta de quibus divi-

nitas praedicatur, constituuntur. Quod spectat ad Dominum Iesum, philosophum fides docet fieri posse ut quae natura sua deberet esse substantia prima, non utique individuationem et singularitatem amittat, sed incommunicabilitatem; fieri nimirum posse ut non sit ipsa subiectum attributionum omnium, at eadem alii tamquam pars tribuatur, a quo nempe ut pars habetur, et in quo ut pars exsistit. Porro, quia realiter substantia prima, ipsa singulari substantia, quae modo sibi naturali exsistit, constituitur, ne erronea videatur doctrina cum de Incarnatione cogitamus, suppositum sola substantiae primae notione definire non suevimus. Atqui si substantiam primam pro ultimo subiecto praedicationum omnium accipimus, utique illa idem est ac suppositum. Ubi animadvertere licet subiectum ultimum formarum in ordine reali, seu physico seu entitativo, esse per se maxime imperfectum, quia in potentia est ad omnes actus quorum capax est; subiectum vero ultimum in ordine logico esse maxime perfectum, quia omnes actus qui ipsi tribui possunt iam continet. Substantia prima, quamdiu proprium exsistendi modum habet, in hoc est perfectissima. Quod autem divina potestate ad aliud trahi queat, neque efficit ut cum in se manet sit imperfecta et manca, nec mutat formalem rationem suppositi, quae ab illa absolute auferri potest, quatenus modus illi connaturalis, quo per se exsisteret, in alium modum mutatur, atque efficitur ut ea sit alterius per se subsistentis.

Ad 4^m, quo obiiciebatur exemplum animae seiunctae a corpore, quae subsistens ac distincta videtur, respondemus eam utique esse imperfectam, quippe deficientem in virtute exercendi facultates omnes quarum est principium, atque exsistentem ut partem compositi quod nata est constituere. Deficit proinde in subsistentia, quam perfecte homo habet; deficit in distinctione, prouti esse suum corpori communicare postulat. Ceterum, qua tenus et reipsa subsistit, et per se operatur, et subiectum est cui operationes et qualitates plures tribui possunt, ad rationem personae proxime accedit. — Nostra autem refert praesertim advertere longe aliam rationem esse animae separatae quae corpus appetit, et substantiae perfectae, cui non repugnat as-

sumi. Ibi est privatio, hic nulla. Ibi potentia est ad perfectionem totius, et vera ad hoc relatio transcendentalis, sive ordo realitati partis intimus, partem aliam ac totum tota se respicientis; hic nullus realis ordo, quia substantia quaelibet proprium esse omnino postulat, superius vero nullo modo; nisi quod est potentia obedientalis, qua solummodo non repugnat ut Dei virtus infinita alia faciat, prorsus posita extra omnem naturae proportionem. Vel si realis ordo asseri debet, tantum est relatio ad Deum, qua creatura illi subditur ut omnipotenti.

Ad 5[m], de absoluta Dei Essentia, fatemur nec subsistentiam ibi nec distinctionem a cunctis praeter Deum possibilibus desiderari; sed unum obstare, quod eadem Essentia tribus distinctis communicatur. Est nimirum supposito formalis incommunicabilitas, qua prohibetur quominus natura, vel universalis, vel singularis etiam, vel de alio vel de pluribus praedicetur.

Articulus III.

Utrum suppositum idem sit quod singularis substantia.

Videtur esse prorsus idem. Suppositum est enim subsistens distinctum. Atqui quod subsistit substantia est; singulare seipso ab omnibus distinctionem dicit. Ergo singularis substantia, ipsa formaliter suppositum est.

2. Praeterea suppositum dicitur sub specie positum. Hoc autem competit singulari. Ergo suppositum idem est quod singularis substantia.

3. Praeterea docet s. Thomas in simplicibus subsistere ipsum simplex, sola forma in sua individuatione constitutum. Atqui quod in simplicibus est sola forma, in compositis est singulare ex hac materia et ex hac forma. Ergo hoc subsistit et hoc suppositum est.

Sed contra est quod, auctore s. Thoma, natura etiam singularis, non ipsa est quae subsistit, verum est qua suppositum

subsistit. Deinde fide tenemus Christi humanitatem esse singularem substantiam, non vero suppositum.

Assertio. *Suppositum a natura, etiam singulari formaliter differt; at materialiter, seu secundum entitatem, quae reipsa importatur, suppositum (ea tantum complectens quibus intrinsece constituitur), non idem est ac singularis substantia, si id* **quod est** *includit ipsum actum quo est seu subsistit; potest dici idem esse, si id* **quod est** *actum quo est dumtaxat connotat.*

Formaliter imprimis, sive secundum propriam rationem, qua natura et suppositum exhibentur, aliud sunt. Natura enim est id secundum quod unicuique competit esse, et qua eidem determinatur suus modus exsistendi in propria specie; suppositum illud est quod secundum modum ipsius essentiae vel naturae habet esse. Et quia ratio determinans modum exsistendi, vel in re vel saltem in intellectu, aliud est ac ipsum exsistere, formalis distinctio prorsus est evidens. In Deo ipso, quamquam scimus eius absolutam simplicitatem, conceptu distinguimus ab Essentia Esse exercitum; revelatio vero distinctionem addidit quae ex relativo exsurgit. Quod spectat autem ad finitas naturas, attendendum est formalem rationem quamlibet, nobis a corporeis incipientibus, esse multiplicabilem; suppositum vero, de quo est omnis praedicatio et cui ipsum esse tribuitur, nonnisi singulare et esse et intelligi posse. Ut ergo appareat quo pacto natura per se accepta ad suppositum referatur, prius quaerendum est quomodo ad singulare se habeat.

Aliter vero se habet in simplicibus, aliter in compositis. In simplicibus natura est ipsum simplex; nam ipsa forma est singularis, neque ullo indiget, ut ulterius determinetur, et ut in se recipiat actualem exsistentiam. In compositis autem, nempe in corporibus, quae constant ex materia et forma, non per ipsam naturae formalem rationem, sicuti nec per solam formam, habetur singulare vel individuum, quod unice subsistere potest. Quapropter id quod realiter est res naturae, addit ipsi essentiae determinationem principiorum individuantium, neque est omnino idem humanitas quod haec humanitas: haec enim dicit hanc animam et hoc corpus, quae prout sunt haec, non

sunt sola humanitas, sed humanitas cum determinatione non ipsi necessaria, quia posset alia esse. Non igitur formaliter eo Sortes est Sortes quo est homo ; secus non esset homo etiam Socrates.

Haec tamen distinctio, quam frequentissime Aquinas habet, non est ut rei a re, prout quidam ex Angelici verbis evincere conati sunt. Non enim abstracta humanitas, realis est per se, sed realitatem unice habet in singulari determinatione, quae est haec humanitas. Eaque determinatio potest utique pendere a principio distincto, nempe a dimensionibus, quibus divisibilis est et quibus signatur materia ; at non ipsae dimensiones, quae substantiam consequuntur ut accidens, intrinsecam substantiae constitutionem ac distinctionem faciunt ; sunt vero causa formalis ut substantia partes actu habeat, easque designant, ac denique sunt ratio cur sint plura individua eiusdem speciei. Contra singularitas sive unitas intime prorsus substantiam ingreditur. Non ergo realis est humanitas praeter hanc vel illam humanitatem: neque est distincta res ab illa eiusdem singularis determinatio. — Deinde quaero : Humanitas ad hunc hominem, se habet ne ut forma determinans, vel ut potentia determinata? Neutrum reale est, et utrumque sub diversa ratione asseri debet : sed hoc probat logicum id esse, non reale, nisi quod obiectivum fundamentum habet, quemadmodum et ratio universalis in multiplicatione eiusdem naturae. Neutrum inquam reale est : quia praeter humanitatem, quae est *forma totius*, nihil superest quod ad illam ut potentia se habeat ; et si concipitur subiectum humanum, iam non indiget forma qua constituatur homo. Utrumque dici potest : nam, ut s. Thomas habet in c. III. *de Ente et Essentia* species se habet ad individuum fere ut genus ad speciem : porro species determinat genus, quod potentiale est. Alioquin, quia natura communis spectatur ut forma vel ut ratio essentialis, et humanitas dicitur *forma totius* : individuatio vero pendet a divisibilitate materiae quae omnino ad potentiam pertinet, iure accipimus essentiam ut actum, individuum ut determinabile. Ergo de consideratione agitur, non de vera distinctione realitatum. — Quod autem spectat ad Aquinatis doctrinam,

utique ille dicit non omnino idem esse Sortem et suam humanitatem, quatenus nimirum obiectivus conceptus humanitatis individuationem non includit, quae ad habendum Sortem requiritur, contra id quod in certa specie puri spiritus contingit. Nunquam tamen ille rem a re distinguit; neque hanc compositionem duabus aliis, quae sunt ex materia et forma atque ex essentia et esse, connumerat; immo duas asserit haberi in corporibus, nunquam tres; ac tandem, post assertam illam distinctionem, explicite mentem suam aperit, scribens: « Natura dicitur constituere suppositum, etiam in compositis ex materia et forma, non quia natura sit una res et suppositum alia res; hoc enim esset secundum opinionem dicentium quod natura speciei sit forma tantum, quae constituit suppositum sicut totum; sed quia secundum modum significandi natura significatur ut pars, ratione supradicta, quia nimirum determinationem individualem non includit, suppositum vero ut totum; natura significatur ut constituens, suppositum ut constitutum » (Quodl. II art. IV ad 3). Et iterum: *Patet ergo quod essentia hominis et Socrates non differunt, nisi secundum signatum et non signatum* (de Ente et Ess. c. III). Evidenter autem *non signatum* in mente obiectivum esse dumtaxat habet, nequaquam in re.

Si proinde quaerimus quomodo natura se habeat ad suppositum, quod est exsistentiae susceptivum, unum discrimen est spirituales inter substantias et eas quae ex materia et forma componuntur: quod in illis singularis est per se natura ipsa; simplex enim forma in se recipit esse suum; quod contra in his natura indiget singularis fieri determinatione suorum principiorum; quoad ordinem vero essentiae iam in singularitate constitutae ad suum esse, sicuti quoad proportionem subiecti ad accidens quodcumque in substantia receptum, nullum inter simplicia et compositum discrimen exsistit. Quam doctrinam Angelicus compendio exhibet, ubi ait: « In compositis ex materia et forma, essentia significat non solum formam nec solum materiam, sed compositum ex materia et forma in communi, prout sunt principia speciei. Sed compositum ex hac materia et ex hac forma habet rationem hypostasis et personae » (I p.,

q. XXIX, art. II ad 3.); ac prosequitur in memoriam revocando doctrinam prius traditam in q. III, art. III, ubi de simplicibus agebat.

Quaerenti igitur utrum re atque entitative suppositum a natura differt, respondendum est primo naturam accipi debere singularem ac determinatam omnino; quae determinatio aliter in puris spiritibus, aliter in corporibus obtinetur. Cum vero ad hanc omnimodam determinationem deventum est, in creatis dicimus non esse angelorum et corporum discrimen: Deum seponimus, in quo prorsus altior est simplicitas, et ratio personalis distinctionis penitus diversa. Porro in creatis, suppositum spectari potest, vel cum omnibus quae ad ipsum pertinent, vel secundum ea tantum quae ipsum constituunt. Pertinent ad suppositum cuncta accidentia, et sic realiter atque entitative suppositum a natura differt, quae substantialibus principiis exclusive constat. Pertinet et actualis exsistentia: quae vel in supposito ipso includi censetur, vel ab eo connotari ut proprius et sibi proportionatus actus, ex realitate ipsa substantiae exsurgens. Si includitur, realiter suppositum ab essentia differt, quemadmodum essentiam distinguimus ab actu quo est. Si dumtaxat connotatur, tamquam actus qui non solum substantiae competit, sed qui, sive in statu obiectivae possibilitatis, sive in statu actualis exsistentiae, haberi censetur, non re suppositum a singulari substantia distinguitur. Ipsa enim substantia res est cui competit in se esse, eademque, cum singulariter accipitur, illud idem esse postulat, seu tamquam sibi debitum connotat, quod illam subsistere facit, constituitque suppositum. Discrimen inter utrumque, singulare scilicet et suppositum, hoc tantum superest, quod substantiae competit subsistentia, quam tamen non sibi actu inesse dicit, quia aptitudinaliter, non actualiter subsistens est; suppositum contra, subsistens definitur. Aliis fortasse verbis idem dicimus, discrimen hoc assignantes, quod substantiae ipsi metaphysice non repugnat alio modo in rebus poni, si nempe assumatur ad superius esse participandum; suppositum autem, eo quod proprium esse vel includit vel ut sibi vere additum

connotat, hoc in se negat portentum fieri: si fieret enim, iam illa substantia, sua carens subsistentia, suppositum non esset.

Per quae patet responsio ad 1^m^ quo dicebatur subsistens distinctum per singularem substantiam iam haberi. Connaturaliter et materiali entitate haberi posse concedimus. Negamus haberi formaliter, quia, sive in ordine possibilium, sive in ordine rerum, substantia est cui competit subsistere, quin neget miraculo posse sibi aliud esse tribui; suppositum hoc fieri negat, et a proprio esse formaliter denominatur. Quamobrem substantia singularis et perfecta connaturalem habet incommunicabilitatem; suppositum hanc se actu habere dicit. De quo tamen erit iterum agendum. Nunc illud notatum velim quod dixi: sive in ordine possibilium, sive in ordine rerum. In utroque enim, tum natura, tum actus quo natura exsistit, considerari possunt ac debent. Non igitur suppositum definimus ut actu positum extra mentem et extra causas. At eadem proportione in utroque ordine possibilium et exsistentium substantia dicit singulare subiectum, cui connaturale est in se esse; subiectum idem suppositum est, si est modo sibi connaturali, quia sic erit subsistens distinctum; suppositum non amplius erit, vel hoc nomine etiam in obiectivo possibilium ordine privabitur, si praeter vel supra naturam trahetur ad hoc ut aliud esse participet: tunc enim neque in se subsistet, neque erit secundum esse ab alio distinctum; neque erit amplius illud de quo cetera praedicantur, sed ipsum praedicabitur de alio.

Ad 2^m^, quo dicebatur singulare et suppositum eadem ratione sub specie poni, respondemus non omnino eadem ratione id verum esse. Etenim substantia prima vel singularis natura per se et formaliter, ratione formalis essentiae qua intelligitur et est, in praedicamento ordinatur et est ultimus terminus, in quo notiones genericae et specificae uniuntur et realitatem habent. Suppositum vero praedicamentum terminat ratione ipsius naturae ad quam pertinet, non ratione subsistentiae sive ordinis ad proprium esse, quo tamen subsistens dicitur ac suppositum est, sive in se potius quam in alio constituitur. Natura ergo immediate ratione sui in praedicamento ponitur, suppositum

ratione naturae. Quae doctrina perpetuo a s. Thoma traditur ubi ait ipsum *esse* non pertinere ad praedicamenta, sive ad species et genera; ens vero in categoriis disponi prouti sibi determinat hunc vel illum modum habendi actum quo est, et ita secundum modum *essendi* ens tribui in substantiam et accidens, sive in decem praedicamenta. Immediate enim hoc quod dico *esse in alio*, quo accidens a substantia discernitur, diversis modis intelligitur secundum novem praedicamenta, quin sit notio communis univoca et generica. « In rebus creatis, nimirum, ait Angelicus, res aliqua singularis non ponitur in genere vel in specie ratione eius quod pertinet ad eius individuationem, sed ratione naturae (III p. q. II, art. III ad 3^{m}).

Ad 3^{m} quo opponebatur doctrina asserens ipsum simplex subsistere, dicimus utique verum esse nihil referre ad hanc disputationem quod natura vel simplex sit vel composita. Non enim quaerimus quo pacto natura evadat singularis, sed quo pacto singulare se habeat ad propriam exsistentiam qua suppositum constituitur. Et adhuc dicimus substantiam in sua singularitate constitutam non omnino idem esse quod est suppositum: formaliter enim illa remanet in ordine solius essentiae; hoc formaliter exsistentiam propriam connotat, alienam negat.

Ad illud autem quod contrarie afferebatur, substantiam quoque singularem dici qua suppositum est, non ipsam esse, respondemus, naturam formaliter acceptam semper esse *qua* suppositum vel persona est id quod est in sua entitate et perfectione; acceptam etiam ut singularem et concretam, dici debere *qua* est totum compositum complectens esse et accidentia; posse tamen eandem dici id *quod est,* prout est susceptiva sui esse; si demum ad aliud trahitur, ut Christi humanitas, omni modo esse tantum id *quo* persona est.

Articulus IV.

Utrum suppositum formaliter naturae addat aliquid negativum, seu formaliter in negatione consistat.

Videtur id esse asserendum. Etenim ratio formalis suppositi in individuatione sita est, qua a ceteris, eiusdem etiam naturae distinguitur. Atqui individuatio ad unitatem pertinet, quae est notio negativa: unum enim definitur in se non divisum. Ergo et ratio formalis suppositi negativa est.

2. Praeterea, si substantia singularis spectatur, suppositum illa est, eo quod in se maneat, quin alii iungatur. Atqui hoc quod est alii non iungi, negativum est. Ergo ut prius.

3. Praeterea communis est doctrina Patrum, Petavio teste et Tiphanio et Franzelin, non defectu alicuius realitatis, sed novae perfectionis accessione, humanitatem Christi propria personalitate carere. Esset autem persona, si in se consisteret. Non ergo personalitas quidquam reale illi afferret, sed unionem cum Verbo tantummodo negaret. Est igitur quid negativum.

4. Praeterea dicunt Patres perfici potuisse iam alioquin perfectam humanitatem, per unionem cum Verbo, non adducentes in illa ullius realitatis defectum, at hoc tantum spectantes quod comparate ad Deum nihil perfectum exsistit. Non ergo rationem suppositi quidquam addere substantiae, quod ab illa unio hypostatica auferre deberet, unquam cogitaverunt.

5. Quibus consentit Aquinatis doctrina. Definit enim ille suppositum *singulare in genere substantiae, quod dicitur hypostasis vel substantia prima* (Quodl. IX, art. II); *Compositum ex hac materia et ex hac forma habet rationem hypostasis et personae* (I, p. q. XXIX, art. 1). Et q. III, art. III, innumerisque locis aliis priori illi affinibus, sive, ut dicitur, parallelis, nihil ad habendum cuiuscumque naturae suppositum requirit, praeter id quod requiritur ad constituendum singulare. Ergo, si a natura suppositum distinguendum est, quod utique secundum forma-

lem rationem necessario facimus, nihil tamen praeter negationem singulari substantiae addere oportet.

6. Praeterea, Sanctus Doctor explicite asserit Christi humanam naturam non esse hypostasim, eo dumtaxat quod alia illi advenit, substantia nempe divina (Comp. theol. c. 211); quod si humanitas illa separaretur, hoc ipso esset persona (III, p. q. IV, art. II, et alibi pluries). Manifesta est igitur mens illius in hac dubitatione.

7. Denique ratio suppositi optime explicatur per hoc quod aliquod totum haberi dicimus; auferri rationem suppositi, si substantiam fieri contingat alterius partem. Atqui non esse partem et esse totum per ulterioris compositionis negationem, negat tantum, nihil ponit. Ergo per hoc tantum et personalitas uniuscumque hominis et unio hypostatica explicatur, quod homo est totum in se, humanitas Christi alterius pars est.

Sed contra est quod apud eumdem Aquinatem legimus, ubi ait suppositum esse perfectissimum in modo habendi esse singulare et substantiale et proprium, cui persona addit peculiarem dignitatem (de Pot. q. IX, art. III; I p. q. XXIX, art. I et III). Atqui maxima perfectio non videtur in negatione ponenda. Ergo suppositum per aliquod positivum debet formaliter constitui.

Assertio. *Ratio formalis suppositi, quae a substantiae ratione alia est, prout dicit subsistentiam distinctam, perfectionem dicit, neque notiones totius et partis quidquam explicant, nisi assignetur actus entitativus, secundum quem pars vel totum habetur.*

Alia sane est a ratione substantiae, cui competit esse in se, ratio suppositi, quae positive importat substantiam esse in seipsa, scilicet per propriam exsistentiam. Ita notio actualis inhaesionis, qua in Eucharistia panis vinique dimensiones carent, alia est formaliter a notione accidentis, cui competit inhaerere. — Neque est diversitas a mente tantummodo cogitata. Etsi enim realitas substantiae, quae fortasse non sit in seipsa, sicut et realitas ipsius formae accidentalis, quae actu non subiecto inhaeret, in sua ratione essentiali atque in realitate potentiali

permaneat, eademque sit (non dicimus idem numero ens permanere); reale discrimen tamen est in modo exsistendi, et in perfectione quam hic modus importat. — Insuper, sicut actus perfectior potentia est, ita suppositum quod in sua ratione subsistentiam includit, perfectius est substantia, quae sibi illam subsistentiam competere tantum dicit. Nulla ergo dubitatio esse potest de positiva nota realique perfectione, quam supra substantiam, spectatam etiam in sua singularitate, suppositum importat.

At visum est non paucis subsistentiam illam in sola negatione consistere; quatenus substantia, cuius negatur unio cum superiori, tota manet in se. Subsistentiam igitur intelligunt modum entis non distinctum ab ente; accipiunt ut nomen quo designatur substantia in se posita, quin realitatis quidquam per se illi addat. Declarabimus subsistentiae notionem et nomen aliter omnino : iamque loquuti sumus hactenus, ita ut realem actum, quo substantia in se exsistit, ea voce designaremus. Interim contendimus nihil esse prorsus quod adversarii dicunt, nisi realis actus subsistentiae nomine intelligatur, cum dicunt substantiam esse suppositum, si est totum; non esse, si pars est; sive hoc absolute asseratur, sive non aliter determinetur ut pars, quam designando rationem suppositi seu personae.

Evidenter enim totius et partis notiones certum rerum genus transcendunt, neque per se determinatam essentiam vel perfectionem vel actum menti praebent. Est totum potentiale, est totum essentiale, est totum integrale, cuiusmodi praecipue patet in continuo. Si dicitur ergo aliquid totum, cui opponitur quod aliquid pars dicatur, assignare oportet rationem, qua illud constituitur totum vel pars. Certe Humanitas Christi non est pars in ratione continui, non est in ratione naturae. In quo ergo?

Respondebunt, in ratione suppositi. Atqui nomine suppositi non designant nisi ipsissimam realitatem substantiae, et praeterea nihil. Suppositum scilicet, si praesertim non a subiecto essentiali distincta realitas subsistentiae intelligatur, nullum per se entitativum actum importat, at realitatem aliunde constitutam designat. Ita, in re de Trinitate, cum quaerenti : quid

tria in Deo? responsum est: tres personae, nequaquam sane novus actus entitativus inductus fuit, neque etiam formalis ratio peculiaris perfectionis assignata fuit; at dumtaxat adinventum est nomen, quo id significaretur quod Essentia et Relatione constare noscebatur. Nihil ergo dicitur cum totum dicitur in ratione suppositi, si reipsa secundum omnem entitatem, suppositum idem est ac singularis substantia, neque illi quidquam addit.

Si vero ea notio adhibetur ad declarandam aliquo pacto unionem hypostaticam in Christo, eam dicimus declarationem nullam esse, atque absurdam videri. Primo est nulla: negatur scilicet humanitas illa esse suppositum, quia est pars, dicitur esse pars quia non est totum in se; negatur esse totum in se quia pertinet ad aliud suppositum; pertinet quia est pars, et nihil assignatur in quo sit pars, nisi ratio ipsa suppositi, quae nulla ponitur, nisi quod per totum parti oppositum declaratur, Manifeste hic circulus nihil explicat. — Videtur omnino absurdum. Agitur nimirum de assignanda unione quae sit substantialis. Porro quidquid ad substantiam realiter pertinet, tum quoad naturam tum quoad esse, volunt adversarii in humanitate Christi esse immutatum. Quid superest, quod in ordine ipsius esse substantialis ab eo quod naturaliter esset, mutetur? Ratio suppositi. Atqui hanc nihil esse reipsa dicunt, praeter realitatem substantiae. Mutata ergo et non mutata secundum eamdem rem illa humanitas dicitur; quod sane implicat. — Deinde, quod in aliquo ordine perfectum et integrum manet, quod praecipue integrum est in prima constitutione substantiae, et in ipsius actuali exsistentia, non nisi accidentaliter mutari potest, eique quidquid advenit, complementum in illo ipso ordine in quo res completa exsistit, nequaquam aufert. Ita quidquid fiat de lapide, quo domus exstruitur, addetur ordo vel dispositio; non ipsa natura lapidis, vel illius distinctio substantialis imminui poterit, neque restat quo in se compleatur. Ergo si humana Christi natura omnia habet quae ad hominem constituendum postulantur, frustra asseritur ad ordinem substantialem unio hypostatica pertinere, eaque omnino accidentale quid

adiiciet, nequaquam primum esse attinget. — Nihil autem dicit qui complementum ponit in ratione hypostasis, dum negat hypostasim praeter ipsam substantiam quidquam addere. — Negative igitur tantum rationem hypostasis exhibere, atque in totius partisque notionibus, nihil amplius determinando, unionis hypostaticae rationem ponere, absurdum est.

Ad primum, quo obiiciebatur suppositum idem esse ac individuum vel singulare, respondemus formaliter suppositum absque dubio singularitatem complecti, ut sit distinctum a ceteris; sed praeterea consistere in ratione subsistentis, quo positivus actus propriae exsistentiae importatur.

Ad 2^m^ quo dicebatur sufficere negatio coniunctionis cum alio, respondemus hanc utique sufficere posse, modo intelligatur realis et positivus actus, qui primo substantiae competit prout est in se, ad quem secundo trahitur participandum substantia quae ab superiori assumatur. Ergo sola negatio illa coniunctionis quid negativum est in modo significandi, concedimus; in re quam importat vel connotat ut fundamentum, negamus : fundatur enim in positiva subsistentia, quae vel propria est, vel aliena. De qua subsistentia postea dicemus.

Ad 3^m^ quo afferebantur Patres aientes non defectu ullius perfectionis, sed superioris accessu, humanitatem Christi carere propria personalitate, atque ad altiorem trahi, respondemus verissime id dici, quoad omnem perfectionem quidditatis vel substantialis vel accidentalis *quae est,* quaeque per exsistentiam in actu ponitur; non vere dici quoad ipsum actum, quo res illa vel entitas exsistit. Primum vero plene sufficiebat Sanctis Patribus, agentibus contra monophysitas, vel contra utcumque alterantes humanam Christi naturam, cui corpus alii, animam vel mentem alii, alii compositionem ex anima et corpore, alii demum perfectam in sua specie permanentiam denegabant. Hanc vero perfectam substantiam nullo carentem in Verbo exsistere dicebant; quo implicite, quidquid explicite cogitarent, mutatam a naturali conditione exsistentiam certo asserebant. Porro et nos mutationem substantiae seu modi exsistendi asserimus, non quidditatis *quae est.* Ergo non a Patrum doctrina recedimus·

Ad 4^m^ quo afferebatur sententia Patrum, dicentium compleri potuisse humanam substantiam, etsi perfectam, solo accessu ad Deum, quia comparate ad Deum creatura omnis imperfecta est ; respondemus, eo dicto indeterminate et vage assignari rationem, qua fieri potest ut substantia integra divinae Personae adiungatur, quod respectu finitae personae repugnat, quemadmodum ex doctrina s. Thomae clarius et pressius explicabimus. In divina infinitate ratio mysterii absconditur. Hoc autem quaestionem nostram minime tangit. Dum enim suppositi formalem rationem quaerimus vel perpendimus, invenire conamur in quo entitative ac realiter sistat accessus ille creatae naturae ad Deum ; qui accessus, si substantialiter humanitatem attingere debet, utique in illa vel realitatem aliquam vel exsistendi modum realem immutare debebit. Nequaquam tamen immutat in ordine quidditatis ; sed certe in ordine subsistentiae, quae re a natura differt. Si autem neque in hoc mutatio ulla esset, assertio novae prorsus conditionis in humanitate D. N., non mysterium esset, sed planam contradictionem involvere videretur.

Ad 5^m^ et ad 6^m^, quibus s. Thomae auctoritas adducebatur, dicimus suppositum, illo auctore, esse substantiam integram quae actu connotat suum proprium esse. Hac ergo connotatione, non autem intrinsece, differt a substantia singulari et prima. Differt nihilo secius realiter omnino, quia aliud sane est quod substantia proprium esse habeat, aliud quod per actum non ex suis principiis surgentem in rerum ordine ponatur. Aliud etiam est suum esse habere, aliud est aliud habere. Tamen, ipsius substantiae *quae est* realitatem spectando, optime cum Patribus Aquinas ait nihil ex accessu ad Verbum Christi humanitati deperisse ; etsi minime dubitat et verum actum subsistentiae propriae ab illa ablatum, et aliam illi subsistendi rationem advenisse. Quam subsistentiam id esse ex quo substantia constituitur actu ens, ad mentem Angelici prorsus dici debere ostendemus. Et quia ex actu quo aliquid est, determinatio numerica ipsius entis formaliter pendet, corpus Christi anima in cruce destitutum, idem numero permansisse quod prius erat,

contra id quod in ceteris contingit, s. Thomas affirmat. Et quia actus entis mutaretur, si illa humanitas a Verbo separaretur, pluries asserit, vel corruptionem futuram fuisse rei praeexsistentis, si prius humanitas fuisset formata quam assumpta, vel novum hominem futurum, si humanitas a Verbo separaretur. Hoc ipso autem quod separaretur, sine nova rei productione, homo esset, quia, primae Causae in res omnes, prout unaquaeque postulat, actione conservatrice vel creatrice admissa, eadem humanitas in suo esse constitueretur, quo videlicet in se subsisteret.

Ad 7^{m}, quo dicebatur explicari satis personae humanae absentiam in Christo eo quod humanitas effecta sit pars, et bene suppositi rationem in totalitate poni, respondemus id recte dici, modo reali significatione et pars et totum significentur, ponaturque actus, secundum quem pars est vel totum, quin universa quaestionis solutio in circulatione verborum totius et partis frustra volvatur. Pars enim non separatim exsistit, idest non in se habet sub ratione partis proprium actum, quo per se sit : sequeretur enim nullo pacto esse unum formale esse totius, vel compositi. Quod si pars primum actum quo simpliciter est *hoc aliquid* in se habet, fortasse erit pars in ratione accidentali dispositionis vel ordinis cuiuscumque, sicut lapides et trabes in domo extruenda ponuntur ; nequaquam erit pars in ratione substantiali, quo primo ens et *hoc aliquid* constituitur. Quamobrem pars substantiae minime habet primum et proprium esse : minime habet materia vel forma, excepta anima humana quae ad proprium esse quo subsistit materiam trahit ; minime habent singula organa viventis ; non habent denique partes continui. Pro his valet etiam ratio quod esset eorum multitudo indefinita ; id autem realitati, quae indeterminationem respuit, omnino repugnat. Neque partium dimensivarum actualis distinctio est, ex certa doctrina Aristotelis et s. Thomae. Etenim « duo quae sunt in actu nunquam sunt unum actu, sicut patet in partibus continui. Duo enim dimidia unius lineae sunt in potentia in ipsa linea dupla, quae est una in actu » (In VII Metaph. lect. XIII). Et iterum : « Medium lineae dicitur esse

in linea in potentia ; quaelibet enim pars continui est potentialiter in toto » (in V Met. l. IX). Et iterum : « Continuum non habet partes in actu, sed in potentia » (in I de Coelo et Mundo, lect. III). Secundum haec dicit etiam Angelicus puncta in linea, quibus partes discernere oporteret, non esse actu, nisi sint termini quibus linea finitur (I p. q. LXXXV, art. VIIII ad 2^m^ et alibi). Denique de partibus universim, praeter alia, hoc documentum habemus : *Anima humana aliter se habet ad esse quam aliae partes : nam esse totius non est alicuius suarum partium : unde vel pars omnino desinit esse, destructo toto, sicut partes animalis, destructo animali ; vel, si remanent, habent aliud esse in actu, sicut pars lineae habet aliud esse quam tota linea. Sed animae humanae remanet esse compositi post corporis destructionem. Et hoc ideo, quia idem est esse formae et materiae, hoc idem est esse compositi. Anima autem subsistit in suo esse. Unde relinquitur quod post separationem a corpore, perfectum esse habeat* (I^a^ II^ae^ q. IV, art. V ad 2^m^). Igitur et necessaria veritate, et ad mentem s. Thomae, pro quibuscumque partibus (nisi agatur de parte formali simul et subsistente) stat argumentum quod si singulae esse habent suum, iam esse totius vel compositi non est esse primum, sed secundum ; actum est de substantiali unitate. Evidenter enim totum esset cumulus entium ; quorum singulis, iam constitutis in suo primo actu, iunctio cum ceteris partibus adiungeretur sive accideret. Nec quidquam valet dicere esse eas partes per se ordinatas ad totum, singulasque intrinsece perfici ceterarum adiunctione. Esset enim ille ordo, et esset ea perfectio praeter primam, qua constituitur ens simpliciter ; huic perfectioni competeret esse in ente iam constituto, sive esse in alio, quae definitio est accidentis. Etiam corpus, ceteroquin, per se omnino ordinatur ad suas dimensiones, iisque intrinsece perficitur : at ordinatur ut ad actum secundum, perficiturque in ratione quanti, non in prima ratione corporis, qua iam est : ergo quantitas est accidens. Eodem pacto, si corpus iam constitutum est, antequam animam recipiat, quidquid adstruatur verborum et argumentorum, vita erit quid accidentale : quidquid additur enti quomo-

documque in actu, illud voco accidens, ait s. Thomas (de Spir. creat. a. III), seque putat necessariam et evidentem enunciationem proferre. — Quae quum ita sint, admittimus bene auferri ab humanitate Christi rationem suppositi, eo quod illa dicatur esse pars. Sed partem intelligimus quae est in ordine subsistentiae, seu primae exsistentiae qua res primo actuatur; scilicet pars est, quae subsistentia propria caret, ac subsistentiam, seu actum quo primo substantia est, alius subsistentis participat.

Scholion.

Articulo nunc absoluto excludimus opinionem eorum, qui rationem suppositi, prout illud utcumque a substantia debent distinguere, in sola negatione ponunt; naturam vero singularem atque integram dari posse, quin sit suppositum, eo dumtaxat declarare nituntur, quod substantia, quamvis sit perfecta, non in se manere ut totum quid, sed alterius fieri pars, divinitus queat. Nullum autem assignant actum entitativum, quem illa substantia amittat, nullum quem acquirat; hoc unum dicere contenti quod quae substantia in se fuisset totum aliquod, contra facta est alterius pars. At si quaeritur: Quo fit ut ea substantia, quae suam naturam et suum esse servat, non sit suppositum? respondent: Eo quod non est amplius in se. — Cur non est in se? — Quia pars est alterius. — In qua ratione est pars? — In ratione suppositi. — Quid importat ratio suppositi? — Rationem totius in se positi. — Aliis verbis, substantia illa quae assumitur, alii unita est hypostatice quia hypostatice fit unum, et fit unum quia trahitur ad aliud. — Manifeste hoc nihil est. Vel potius, verum est, et fortasse totum est quod fide profiteri debemus: credimus Humanitatem Christi ad divinam Personam pertinere, et humana personalitate cum lucro esse destitutam. Sed non haec sufficiunt fidei quaerenti intellectum: statim enim mens scire desiderat quaenam sit entitativa ratio, secundum quam, si mysterium reale quid continet, humanitas mutata est, vel quid sibi velit qui dicit eam esse partem, quum ratio suppositi nihil per se afferat, neque in

ordine naturae neque in ordine exsistentiae; quod si subsistentia inducitur, illa in mera negatione ponatur.

Quod cum multi sentirent, alia via solutionem invenire conati sunt, realitatem novam ponentes, qua aliquid positivum praeferunt, sed illam a substantia sive natura et ab illius exsistentia distinctam. Posuerunt scilicet modum quemdam entitativum, quo substantia ultimo terminetur ad hoc ut sit suppositum. Qui exsistentiam ab essentia re aliud esse intelligunt, modalem realitatem illam inducunt, quo substantiam faciant sui esse susceptivam. Qui distinctionem illam absurdam existimant, modum addunt substantiae exsistenti, quo in se terminetur, claudatur, absolute etiam incommunicabilis constituatur. — Hunc ergo modum ab Humanitate Christi ablatum dicunt omnes; loco autem illius posteriores asserunt modum alium, quo illa divino Supposito iuncta est. De his nunc agendum; ac primo de modo addito substantiae iam exsistenti.

Articulus V.

Utrum subsistentia sit modus substantiae iam exsistenti additus.

Videtur in modali aliqua realitate, qua substantia, iam prius prioritate rationis, non durationis, exsistens, ad hoc ut sit per se non in alio, determinetur, notio subsistentiae esse reponenda. Ante omnia, modorum nomine bene designantur realitates illae, quae rebus modum quo sunt vere determinant, quum res ipsae aliter esse possent; nec tamen ipsa substantia sunt, quae, mutato modo eadem maneret; nec sunt accidentia, si ipsam substantiam intrinsece in ratione substantiali modificant, neque etiam si determinent aliquod esse accidentale, quum nullo pacto, divina etiam potestate, separatim servari concipi queant. Huius ergo rationis, nempe realitatis a substantia distinctae, non tamen ab ea separabilis, esse modum dicimus quo substantia ad subsistendum, sive ad hoc ut sit per se, determinatur.

2. — Praeterea, negari nequit subsistentiam, suppositi vel personae perfectionem vel dignitatem afferre, quae realis est, et non nisi iniuria et falso negationi tribuitur. Ergo positiva quadam entitate constituitur. At non profecto accidente; neque prima ipsa realitate substantiae; nam essentia formalem tantum rationem importat, quae universalibus etiam competit; exsistentia dicit tantum in rebus inveniri quod essentia importat.

3. — Etiam, sicut accidens miraculose in Eucharistia sine inhaesione servatur, ita Christi humanitas sine sua subsistentia. Bene autem a priori facto deducimus inhaesionem esse modum ab entitate accidentis distinctum. Pariter a secundo inferimus subsistentiam, qua substantia per se est, quamque amittere potest, ut realitatem modalem, a substantia ipsa distingui.

4. — Praeterea, etsi ratio in naturae ordine sistens necessitatem modi suppositum determinantis non evincit, ad illum ponendum mysterium Incarnationis nos adigit; secus substantia singularis et integra quae est Humanitas Christi iam esset suppositum, quod est contra fidem.

5. — Denique, non longe abest haec sententia a doctrina s. Thomae, ponentis essentiam iam per se realem addito exsistentiae actu compleri, ideoque ad hoc ut in se sit potius quam in alio, determinari: similiter enim Suaresius ait iam esse realem substantiam et per modum additum in se terminari et claudi, vel per alium modum ad aliud transferri. Non autem hunc modum exsistentiam ille dicit, quia substantiam realem non iam exsistere absurdum putat; dum non ita absurdum esse thomistae existimant. Non ideo pro alterutra sententia vehementer pugnandum est.

Sed contra est quod praeceptor noster Angelicus nunquam et nusquam quidquam simile modalium illarum entitatum se in mente habuisse ostendit vel innuit.

Assertio. — *Perfecta substantia, quae proprio actu exsistere intelligitur, nulla ulteriori realitate in ordine substantiali compleri postulat, vel etiam potest.*

Principio, dicimus adaequatam esse divisionem entis in substantiam et accidens, ita ut nulla realitas admitti debeat a substantiae principiis distincta, quae inter accidentia non sit

enumeranda. Immediata enim et integra est entis divisio, prouti ipsi enti competit esse vel non in alio vel in alio. Si igitur de ente, *cuius actus est esse,* agitur, vel illud talem essentiam habet, cui competat esse non in alio, et est substantia; vel eam habet cui competat esse in alio, et est accidens. Nullus inter haec duo, quae contradictorie opponuntur, tertiae rationi locus superest vel invenitur. Quaestio tamen redire potest de principiis entis, quae nimirum non ipsa sunt, at sunt ut quibus ex iis compositum est. Porro, si sunt formae tribuentes subiecto actum quemcumque alium a primo, accidentia sunt; si nullum actum tribuunt, non sunt reale quidpiam, sed in denominatione sistunt, vel abeunt inter entia rationis. Quod ad substantialem ordinem spectat, eius principia sunt potentia et actus, sive materia et forma, vel essentia et esse. Complementum vero, quodcumque cogitetur seu nominetur, vel indistinctum est a substantia, et non est aliud ab ipsa; vel ab ea distinguitur, et tunc habet esse in illa, ac proinde accidentis definitionem verificat.

Modos substantiales proinde intelligimus primo, prouti determinant ipsum ens in sua ratione formali. Ens, ex gr., diversum modum habet ut est substantia vel ut est accidens; diversum rursus modum habet ut est substantia corporea vel incorporea. Secundo intelligimus, prout sub diversa ratione generica idem subiectum diversimode nominamus, hominem, puta, animal, vivens, corpus, dicentes. Tertio, prout diversa comparatione subiectum idem spectamus in ordine ad motum vel ad esse vel ad accidentia, et proinde naturam, subsistens, substantiam dicimus. Atqui patet nullam eiusmodi considerationem realitatem novam inferri, quae ab ipso subiecto distinguatur. Quaecumque autem denominatio reale quidquam poneret praeter ipsum subiectum, vel relationem mente conceptam, vel actum superadditum significaret Quandoque, prae ceteris accidentibus, qualitas substantiam modificare dicta est. At, ut patet, de vero accidente agitur, quod modum tribuere subiecto, comparate ad quantitatem, quae substantiam mensurat, dictum est. Non aliis quam his rationibus modi nomen apud Aquinatem adhibetur, neque aliter modum realem intelligere valemus.

Deinde nullo pacto entitas quaecumque admitti potest, qua substantia, quae iam exsistere fingitur, ad hoc ut sit *per se* determinetur. Omnino enim hoc ipso quod exsistit, determinata est. Per se nimirum dicitur ens, ac dicitur esse, id quod in se uno habet quo ens constituatur, et est exsistentiae capax, et in se habet actum quo est. Non sunt igitur per se formae accidentales quae potius sunt entis entia, neque ipsae sunt, sed revera eatenus exsistunt quatenus tribuunt subiecto dispositionem, secundum quam secundario idem subiectum est, vel ut quale, vel ut quantum, vel ut aliter denominatum. Non sunt per se naturae substantialis principia, quae non in se habent quo exsistere valeant; nec, si praesertim agitur de principio potentiali, vel esse habet, vel est per se intelligibile: utrumque autem, sive actus sive potentia, eatenus est atque intelligitur, quatenus intelligitur ut quo vel formali vel materiali constituitur substantia, neque aliter quam secundum ordinem hunc ad totum cogitari debet, neque aliter est. Non ergo ea principia, ipsum esse compositi participantia, esse per se dici possunt. At, quodcumque actum quo est, in se habet, scilicet est per esse suum, profecto est ens, cuius actus est esse. Nec refert quod fortasse sit quodammodo imperfectum, vel in potentia ad ulteriores actus, qui erunt secundi et accidentales, vel etiam in modo subsistendi per esse suum, quod contingit in anima humana seorsim accepta, quae in suo esse subsistit, postulat tamen eumdem actum corpori communicare, ut omnes explicet virtutes quorum est principium et sit modo sibi connaturali. Cum vero de integra substantia, sicut de homine sermo est, prorsus patet illud esse subiectum cui per se competit esse; et, si in rerum natura ponitur, non per aliud, verum per se exsistit; nec formaliter aliud quaeritur ut *ens per se* dicatur et sit. Quidquid autem adderetur, vel indistinctum esset, et frustra seorsim spectaretur, vel esset distinctum, et in ordinem accidentalem incideret.

Denique, quid praeter singularem substantiam naturali ordine exsistentem, ad supposití definitionem verificandam, addere oporteat, omnino non apparet. Subsistit enim quod non alterius esse participat; distinguitur a ceteris sua individuatione; subie-

ctum est praedicationum; totum est in se perfectum: quid superest, vel quid deest? Quod vero ex mysterio Christi deducitur, aliquid non consequens sed antecedens substantialem humanitatis exsistentiam esse ponendum, intimiusque eam attingens quam per additam realitatem fieri queat, et iam innuit particula definitionis *subsistens*, et accuratius deinde ostendemus. Ergo substantia quae iam exsistens censetur, nullo praeterea indiget, immo omne respuit additamentum, quo ens per se et quo suppositum constituatur.

Nequidquam praeterea quis eniteretur ad fingendam aliam modalem realitatem, qua substantiam sua subsistentia destitutam, unitam faceret superiori supposito, humanitatem Personae Verbi. Nihil enim ad unionem facit actualitas quaelibet ex una tantum partem se tenens, seu terminum unum afficiens, nullo pacto alium. Atqui nulla entitas creata, humanam naturam afficiens, divinam Personam potest attingere; nulla potest esse Divinitati atque humanitati communis; nulla demum peculiarem ordinem ad unam prae ceteris Personis habere potest. Non enim actus ullus diversimode creatam substantiam disponens, vel potest esse utcumque forma purissimae actualitatis divinae; neque referri potest ad Deum, tamquam modus ipsius; neque proportionem habet ullam cum singulis personis, cum hae internis relationibus constituantur, praeter ordinem cuiuscumque finitae entitatis. Non ergo fieri potest ut creatus quilibet actus sit unionis hypostaticae formalis ratio; sed divina actualitas ad humanitatem se extendat necesse est, quo et illam ad se trahat, et divinum subsistens finitae substantiae communicetur. In ea divina actualitate ab humana natura, non imitatione sed assumptione participata, veri nominis unionem quaerere oportebit.

Ad 1^m, quo rationes admittendi reales modos adducebantur, respondemus rem omnem aut intrinsece determinari entitate sua, aut, si aliunde determinationem accipit, formae alicui vel substantiali vel accidentali, vel in ordine essentiae vel in ordine exsistentiae, id esse tribuendum; non esse autem mutationem realem sine entitate ad alterutrum ordinem pertinente. Maxima habetur, quum eadem anima hominis vel in corpore vel extra

corpus exsistit. Tunc quidem corporis magna mutatio est, quatenus essentiam et esse animae vel participat, et est homo, vel non participat, et est quid sine proprio nomine in elementa solvendum. Animae non est mutatio, nisi consequens et accidentalis. Per se enim primaque entitate sua, forma est, sive actus corporis primus; deinde simul cum corpore subiectum est facultatum quarum ipsa est radix: per has igitur consequenter ad unionem perficitur: non est dicendum eam perfici ulla sibi addita realitate modali. — Concedimus non accidentibus intrinsece constitui substantiam; sed negamus posse verbis auferri accidentis rationem ab entitate substantiae addita, qua dicatur tamen substantia in seipsa mutari. — Simili proportione de accidentium modificatione loquemur. Vel enim ipsum accidens mutatur, ut varia esse potest qualitatis intensitas, et non est haec realitas ullo pacto, nisi consideratione, a prima accidentis entitate distincta; scilicet, ut s. Th. monet ubi de habituum augmento agit, non ipsa forma per se est, sed subiectum sic formatum per ipsam (de Virt. in com. art. XI; I^{a} II^{ae}, q. LII, art. I): idem ergo subiectum magis et magis est secundum formam in eadem specie perfectiorem: cui formae intrinsecus est, non ab ipsa distinctus, modus melioris actualitatis. Vel reipsa determinatio quaedam additur, non in ratione formali illius actus contenta, et tunc novum accidens habetur, quod in subiecto, mediante priori accidente recipitur, sicut densitas mediante quantitate. — Nec refert quod non accidens posterius seponi a subiecto vel a primo accidente ullo modo queat. Nullo enim argumento quamcumque realitatem ab alia divinitus seiungi posse demonstratur. Immo id fieri vel intelligi posse negamus, quotiescumque intrinsecam rationem alicuius formae actualis dependentia a subiecto, vel ab alia forma eidem subiecto intimiori, vel cum his actualis connexio ingreditur. Sic non putamus actum vitalem sine vivente, facultatem intellectualem sine spiritu, servari posse. Hatenus vero dicimus in Eucharistia dimensiones a substantia seiunctas exsistere, quatenus actualis inhaesio ad ipsam formalem rationem quantitatis non pertinet, ut suo loco declaratur. Nihil ergo facit ad ponendos reales modos praeter ordi-

nem accidentium, quod nec miraculo reales quaedam entitates a subiecto separari posse videantur.

Ad 2^m, quo opponebatur vera dignitas personae, vel perfectio suppositi, non accidente, non ipsa substantia, constituta, respondemus eam perfectionem non ad ordinem essentiae pertinere, nisi prouti vel in substantia posita est per se subsistendi naturalis necessitas, vel in intellectuali natura dignitas personae. Ab hac nunc praescindimus; et, substantiam spectantes, dicimus in modo habendi proprium esse, qui modus substantiae competit, suppositi perfectionem inveniri. Propriae huius exsistentiae causa, suppositum praestat super reliqua omnia quae utcumque in alio sunt, vel alterius esse participant. Nihil vero eiusmodi exsistentiae addendum est, immo neque addi posse intelligitur, quo in illa independentia ac totalitate subiectum constituatur, quam ut in se est, seu naturali ratione exsistit, iam plene obtinet. Et vicissim, semel ac substantia suam exsistentiam habere ponitur, ponere eam simul non esse per se, ut affirmatio et negatio eiusdem actus in eodem, implicat omnino. Quo pacto autem Christi Humanitas sit revera extra causas, sua tamen subsistentia careat, deinde dicemus; negamus interim subsistentiam addi substantiali exsistentiae.

Ad 3^m, quo accidentium in Eucharistia et Humanitatis in Incarnatione comparatio instituebatur, dicimus similitudinem quamdam in eo inveniri quod portentose diversa ratio habitudinis ad actum exsistentiae ab habitudine naturali utrobique intercedit; oppositionem autem esse assignandam in hoc quod accidentia seiuncta a subiecto in eo actu permanent quem prius subiecto communicabant; Christi Humanitas sua subsistentia destituta aliam participat. At in neutra quaestione modalis realitas ideo inducenda est. Per se enim dimensiones eucharisticae seorsim exsistunt, Deo sustentante, seu substantiae munus supplente. Ipsa pariter humanitas quae subsistere per suum esse deberet, ad aliam subsistentiam trahitur. Scilicet non in alia peculiari entitate ablata vel inducta mutatio est, seu discrimen a naturali conditione; verum in hoc stat quod eadem accidentia in se idem esse habent quod compositi accidentalis actus erat; vel

quod eadem realitas humanae singularis substantiae alio subsistit quam quod naturaliter postularet.

Ad 4^m, quo adducebatur necessitas ponendi novam realitatem propter mysterium Incarnationis, respondemus ex hac tantummodo sequi non idem esse formaliter substantiam et suppositum, et ab illa hoc auferri posse: sed hoc fieri debet auferendo subsistentiam, quae actus est quo subiectum subsistit, sive substantiale *esse;* non inducendo modum, qui novam creat entitatem praeter illam quam ratio novit, et praeter necessitatem adstruitur.

Ad 5^m, quo modus iste exsistentiae a s. Thomae sequacibus spectatae similis fiebat, id omnino contra omne ius affirmari reponimus. Prorsus enim distat modus substantiae exsistenti additus ab illo actu quo ipsa substantia in sua realitate actu constituitur. Hic enim actus realem constitutionem ut causa formalis praecedit, ille modus eamdem constitutionem subsequitur. Modus hic, si realis est, nullo argumento a genere accidentali eximitur; ipsum esse utique ab ipso Aquinate accidens dicitur, sed logice, profecto, non physice. Est enim substantialis actus, et omnino ad substantiae genus reducitur; neque per se est in genere nisi ens cuius actus est *esse,* quo fit ut ipsum *esse* non per se dividatur in substantiam et accidens; quo nomine tandem id solum designari potest, quod penitus extra rationem formalem essentiae positum est, eidemque est contingens. Totius vero erroris fundamentum in hac re illud est, quod essentia iam in se realis fingitur, natura seu ratione prius quam recipiat *esse.* Nequaquam; in sua enim realitate actu constituitur per ipsum *esse;* non secus ac materia prima nullo modo est nisi habeat formam, quo primo obtinet ut actu exsistat. Si enim prius ullo modo esset, quidquid superveniret, quantumcumque verbis substantiale diceretur, esset accidentale. Eodem prorsus pacto formalis effectus exsistentiae hoc ipsum est ut essentia sit; sicut cogitatione, actu cogitans anima constituitur. Quum vero de principiis entis agitur, imaginatio habet partem nullam; sed neque iure reluctatur mens, quippe quae falso conciperet anteriorem actui, effectum formalem ipsius. Falso igitur ante formam

conciperet in se positam materiam, falso ante exsistentiam seorsim cogitaret iam per se realem essentiam. Sed frustra ad haec rerum principia directe apprehendenda mens ipsa nititur; non enim seorsim vel habent rationem entis, vel sunt intelligibilia; at solum per ordinem ad integrum ens, quod et primo cadit in intellectum, et solum est per se cognoscibile.

Scholion.

Per haec excludimus opinionem quaerentium hypostaticam unionem, postquam naturam assumendam iam in se constitutam seu per se exsistentem posuerunt. Frustra nimirum exsistentem perfectam substantiam cogitant, et non illam per se exsistentem dicunt, quum per se sit quod est ens per se, et ens per se sit quod non per actum primo ad aliud spectantem exsistit; sed esse habet cuius ipsum est subiectum, vel ut illius receptivum, vel ut ab illo indistinctum. Frustra etiam, post completam in suo esse substantiam, realitatem addere volunt, quae illi adhuc sit substantialis. Erit, si a substantia ipsa non distinguitur, sed tunc neque additur, nisi, ut corpus ad animam, ad primum esse trahatur. Sed hoc nec valent cogitare qui ipsum esse ab essentia minime distinguunt. Erit ergo reipsa accidens quoddam, maioris etiam entitatis quam reliquà in propriis praedicamentis ordinata. Frustra denique realitatem fingunt, qua humanitas Verbo unita formaliter constituatur. Deberet enim haec forma Deum attingere, et utrique termino esse communis; quod divinae simplicitati infinitaeque actualitati prorsus repugnat. Quaenam etiam creata entitas fingi poterit, quae unam potius quam aliam e divinis Personis attingat? Utique in hoc pro omnibus mysterium manebit. Sed actum divinum quaeremus, qui aliquo pacto ad humanitatem extendatur; modum quemlibet creatum, qui sit formalis ratio, cur aliquid sit commune divinae et humanae naturae, et quo singulari veritate ipsum Verbum homo dicatur, tamquam absurdum reiicimus.

Articulus VI.

Utrum subsistentia in aliquo modo substantiae exsistentiam praecedente sita sit.

Videtur utique substantia singularis et integra adhuc esse complenda per modum aliquem ipsi adiunctum, quo ad hoc ut subsistentiam habere suam et suppositum dici queat, determinetur. Adhuc enim ad utrumque est in potentia; adhuc fieri potest ut vel suum esse habeat, vel ad aliud trahatur. Ergo haec indeterminatio per modum aliquem realem auferri debet.

2. — Praeterea, subsistentia constituit suppositum. Atqui suppositum constitutum est antequam esse habeat. Primo quidem, quia in ordine etiam possibilium spectari potest. Deinde, quia suppositum ipsum ponitur in praedicamento. Atqui in praedicamento ipsum esse non ponitur. Oportet igitur ut ante ipsum esse iam suppositum sit constitutum. Denique subsistentia est de formali ratione suppositi; non item exsistentia. Ergo illa hanc antecedit.

3. — Praeterea, antequam habeatur esse, necessario requiritur omnimoda determinatio, ac proinde ut natura, per se communis, ad id quod reipsa subsistit, ultimo terminetur. Atqui per substantiam solam hoc non habetur. Ergo per aliquid additum. Sicut ergo linea terminatur per punctum, ita substantia per subsistentiam, quae realitas modalis erit, quia nequaquam novae formae rationem habet.

4. — Praeterea, in illa re est capacitas exsistentiae et accidentium, in qua haec recipiuntur. Atqui recipiuntur in supposito, non in natura. Non enim natura est ut quae est, sed ut qua suppositum est. — Accidentia pariter in aliquo recipiuntur quod non est natura ipsa: secus haec per illa mutaretur intrinsece, et formae secundae non essent ipsi essentiae primae impermixtae. Ita Ioannes a s. Th. in I p., q. III, disp. VI, art. I.

5. — Praeterea s. Thomas illud Philosophi evolvens, quod in iis quae dicuntur per se idem est unumquodque et quod quid

est esse eius, docet ibi tantum esse idem suppositum et naturam, ubi nullum potest accidens recipi. Sequitur in omni creatura esse aliud et aliud. Ergo subsistentia aliquid addit naturae etiam singulari (Idem, ib.).

6. — Praeterea, ex ipsa doctrina Philosophi (in VII Met.), non forma generatur, sed compositum, quia hoc tantum *hoc aliquid* dici potest: scilicet in solo composito peculiarem aliquam singularitatem invenit Philosophus, quae efficit ut compositum, non forma, generari queat. Porro ratio quae valet pro forma partis, item valet pro forma totius; igitur neque humanitas per se generari potest, sicut non generatur anima. Alia ergo singularitas ab Aristotele in supposito invenitur, quae non est in natura; ideoque realitatem aliquam distinctam naturae addere oportet (Id. ibid.).

7. — Praeterea, idem Philosophus (in cap. de subst.), ait proprium esse substantiae recipere contraria et substare accidentibus. Ergo hoc quod est esse substans vel subsistens est proprietas substantiae, ideoque positum extra quidditatem ipsius. Ponit ergo suppositum in natura ultimum complementum, eam reddendo subiectum capax omnium quae in se potest recipere, exsistentiae, accidentium, actionum, quae omnia supposito, non naturae, tribuuntur.

8. — Praeterea, per productionem, sive per *fieri,* non pervenitur ad *factum esse,* nisi prius concipiatur terminus *quo* aliquid fit, et terminus *qui* fit, seu subiectum *quod*. Atqui exsistentia nihil aliud est quam *factum esse*. Ergo non potest haberi exsistentia, nisi prius concipiatur terminus *quo* et terminus *qui*. Sed terminus *quo* est natura, terminus *qui* est subsistentia vel suppositum. Ergo subsistentia exsistentiae praesupponitur.

9. — Certe autem haec ad mentem Angelici Doctoris dicta sunt. Primo enim ille idem nos docet suppositum esse *quod* est; naturam, ut *quo* suppositum est; et suppositum esse subiectum filiationis non naturam: et actiones suppositi esse non iterum naturae. Deinde ille idem ait: « Licet ipsum esse non sit de ratione suppositi, pertinet tamēn ad suppositum, et non est de ratione naturae » (Quodl. IX, art. II). Atqui subsistentia est de

ratione suppositi. Ergo non est ipsum esse. Distinguit igitur tria s. Thomas: naturam, subsistentiam, esse. — Iterum ait: « Esse consequitur naturam, non sicut habentem esse, sed sicut qua aliquid est; personam autem sive hypostasim consequitur sicut habentem esse » (III p., q. XVII, art. II, ad 1[m]). Porro non hic loquitur s. Doctor de supposito adaequate sumpto, quo pacto ipsum esse complectitur, et manifeste esse non consequitur seipsum. Ergo esse consequitur suppositum formaliter sumptum. Atqui subsistentia non consequitur sed constituit personam. Ergo non est idem ac esse ipsius. Tria igitur ab Angelico Magistro enumeranda discimus: naturam, suppositum, exsistentiam quae est praeter suppositum iam constitutum. Natura est id quo aliquid est id quod est; suppositum est quod est; exsistentia est actus ultimus supposito superveniens. Haec a s. Thoma hauriuntur, qui proinde iure a Caietano dicitur modum subsistentiae a substantia distinxisse, eoque hanc aptam fecisse ad suum actum recipiendum.

Concludendum videtur esse subsistentiam actum substantialem, ut terminum qui reddit naturam incommunicabilem et ultimo ac positive in se terminatam. Cum vero non sit pars substantiae, nec materiae nec formae rationem habeat, dici debet modus substantialis.

Sed contra est quod non apparet realitatem ullam mediam esse ponendam substantiam inter et accidens, et quod nihil tale umquam Philosophus et Angelicus Doctor suspicati sunt.

Assertio. *Nulla ratione opus est ut reali addito termino substantia singularis fiat receptiva sui esse; nec, si tale quid poneretur, vel in eo formalis subsistentia sita esset, vel ultima ratio suppositi.*

Principio, iterum valent rationes superius adductae (art. V), quibus realitates modales, a realitate substantiae et ab accidentibus distinctas, exclusimus. Si vero realitas modi inducti ita extenuatur, quod in hac re Caietanus facere videtur, *quoniam*, ait, *nec in genere causae formalis, nec in genere causae materialis, se habet ad naturam* (in III p. q. IV, art. II), ut in nihil evanescat, vel realis dici debeat realitate subiecti sic exsi-

stentis et non aliter, modus ad id quod ipsi posuimus redigetur, vel quaestio de verbis tantum manebit. Certe non est hic tanti momenti disputatio, quanti fuit antea, contra realitatem vere additam substantiae iam exsistenti, ut per se haec fieret exsistens. Procul dubio per se exsistit substantia quae iam habet suum esse; quid est enim praeterea esse per se, nisi quis novas entitates aptet verbis alio sono prolatis? Procul dubio etiam accidentale erit, quidquid subiecti iam positi substantiae additur, quo eadem secundum aliquam potentialitatem, non certe ad primum esse quod iam habet, determinetur. Frustra autem dicitur hic modus non afferre novam formam accidentalem, magis quam s. Thomas dicat essentiae accidere ipsum *esse;* nam hoc *esse* constituit et non supponit essentiam, sicut forma substantialis constituit, et non constitutam in ullo actu supponit materiam primam; modus autem ab aliis inductus supponit essentiam propria actualitate iam exsistentem, sicut qui fingeret materiam primam iam ante formam actu ens, utique ut materiam, quo posito actum est de quacumque forma substantiali. De qua s. Thomas ait quod facit esse illud ipsum in quo est, scilicet materiam, quae nullum actum habet neque per se est, ita ut neque sit intelligibilis (de Ente et Ess. c. VII, I p. q. LXXV, art. IV; et q. XV art. III ad 3^{um}, et passim). Absurdus ergo est modus, qui substantiae in actu positae addatur, ut iterum illa substantialiter determinetur. Et praeter alia quae diximus vel quae dicere possemus, valebunt contra illum quaecumque dicturi sumus de necessitate ponendi unionem humanitatis cum Verbo Dei secundum ipsam exsistentiam primam, qua substantia in rerum ordine ponitur.

Modus vero Caietani, qui dicitur necessarius ad hoc ut substantia proprium esse recipiat, atque ab humanitate Christi aufertur ut illa ad esse Verbi trahatur, praecipuae thesi nostrae de unitate secundum esse non directe opponitur; reiicimus tamen illum ut frustra inventum, et a simplici veritate male torquentem tum conceptum proportionis qua natura respicit esse suum, tum formalem subsistentiae rationem.

Primo dicimus frustra esse inventum: et hoc patet maxime e solutione argumentorum, quae Caietanus et asseclae attulerunt, quaeque attulimus primo loco ut obiectiones.

Deinde, non frustra solum, sed male ponitur ulla realitas qua oporteat essentiam disponere ad actum quo exsistit. Iterum advertimus nihil esse cur disputemus, si terminus ille evanescit, et tantum dicit substantiam accipi ut in se determinatam. Sed hoc omnino habet ipsa per suam singularitatem, neque opus est ut illi ulterius frenum opponatur, ne veluti fugiat extra se et in aliud feratur.

Scilicet ratio specifica ipsi *esse* modum ponit, deinde concretio materiae signatae vel quaecumque naturae singularitas constituit substantiale subiectum paratum prorsus ad esse recipiendum, quin ullo complemento indigeat. Est enim tota realitas essentiae determinatae, prout nimirum iam est singularis, in hoc quod respicit *esse* ut proprium actum: non, inquam, potentiam habet, sed ipsa est potentia ad suum *esse;* est proportio, est relatio transcendens ad hunc actum. Sicut vicissim tota realitas actus exsistendi immediate exsurgit, sub virtute agentis et Causae primae, a realitate essentiae; et ab hac habet intrinsecam rationem suae mensurae vel perfectionis; et nihil est, praeter formalem actualitatem, qua talis essentia in se ponitur extra mentem et extra causas. Utrumque principium in ordine ad aliud, et per ordinem ad compositum ex ambobus constitutum, reale est, et est quidquid est. Non secus dicendum est de materia et forma, immediate et tota realitate sua se vicissim respicientibus; neque rationem entis habentibus, nisi per mutuam proportionem neque intelligibilibus, nisi per analogiam ad totum cuius sunt partes. Immediata scilicet est quaecumque unio actus cuiuscumque cum sua potentia. Num medium quid intercedit materiam inter et formam? Nihil certe; et pariter, et fortasse minus adhuc, essentiam inter et esse. Magis enim ad suum esse singularis essentia determinata est quam ad formam materia: hic est indifferentia quaedam ad plures formas, ibi est omnimoda determinatio; hic datur contingentia quaedam, ibi fere necessitas. Quamobrem nulla est ratio quaerendi, immo est absurditas in-

veniendi, complementum ullum vel minimum, quo singularis substantia ad suum *esse* recipiendum ultimo disponatur. Nequaquam ex hac parte, sive hac consideratione, universam doctrinam de actu et potentia respiciente, adstruetur unquam necessitas ponendi in substantia singulari (nil refert quod vel ipsa natura sit singularis, vel per individuationem e materia signata) realitatem additam, vel medium ullum essentiam inter et esse.

Non magis apparet ratio eiusmodi additamenti ad substantiam terminandam. Quid terminus est, nisi finis vel limitatio vel determinatio ad unum? Porro essentia finitur ac limitatur sua formali ratione, et suae materiae, si ex hac etiam constat, capacitate vel designatione, quae designatio ad quantitatem ordinem dicit. Quod si naturae abstractae comparetur, quae comparatio est in mente solummodo, (neque enim realiter exsistit natura communis, sed tantum ab intellectu in substantia singulari spectatur); si, inquam, naturae abstractae individuum comparetur, determinatio ad unum est per ipsam individuationem, et praeter hanc verba proferuntur quibus entitates finguntur novae. Nunquam certe Aquinati in mentem venit ut de ulla indeterminatione substantiae in hac materia et in hac forma concretae suspicaretur; numquam ille innuit terminationem praeter singularitatem esse quaerendam; subsistere in simplicibus ipsum simplex, cui respondet in corporeis hoc designatum ex principiis individuantibus, perpetuo docuit. Et ex hoc, et ex suo actu quo est, constitui totum quod est, cui demum accidentia superveniunt, non in actu exsistendi, sed in eodem subiecto singulari recepta, iterum illius perpetua doctrina est. Aliud qui videt, non invenit sed creat. Quod si conveniens putat sub nova consideratione de novo termino agere, agat, sed non illi novam realitatem tribuere praesumat.

Nec praesumat etiam in eo termino rationem ponere subsistentiae. Ex tota enim antiquitate et ex apertissima Angelici Doctoris declaratione, cui frustra, ut in solutione obiectionum patebit, verba quaedam aliud prorsus significantia alii opponere conati sunt, subsistere est esse prouti substantiae competit, subsistere est esse non in alio, subsistere est actus quo integra sub-

stantia suum esse habet; subsistentia vero, nisi concrete accipiatur pro supposito sua omnia complectente, est actus quo quid subsistit, est actus quo substantia est. Proinde, etiamsi terminatio illa, quam Caietanus inducit, necessario esset admittenda, nequaquam formalis subsistentiae rationem haberet. Subsistentiam fortasse (et hoc vix intelligimus) magis immediate quam ipsa substantia singularis exigeret; abiicienda esset fortasse (hoc dicitur; sed cur?) antequam eadem substantia a superiori persona assumeretur; at non ipsa profecto subsistentia esset, sicut non ipsa subiectum formaliter constituit in suo esse, sicut non ipsa respondet notioni subsistentiae, quam veteres Doctores eosque sequutus s. Thomas, perpetuo tradiderunt.

Ceterum si quis terminum illum ita extenuat ut ad nihilum redigat, non pro verbo inani pugnabimus. Pro re contendimus, quam in unitate primae et substantialis exsistentiae pro **uno supposito, positam esse dicemus.**

Ad 1^m^ vero, quo obiiciebant substantiae singularis indeterminationem ad hoc ut exsistat vel in se vel in alio, respondemus primo vix nomine indeterminationis eam vocari posse, qua substantia secundum naturalem necessitatem intimamque suae realitatis proportionem proprium *esse* postulat, tantum autem non dicit absolutam repugnantiam ut, praeter totius naturae exigentiam et proportionem, mysterioso portento ad aliud *esse* trahatur, quod philosophus penitus ignoraret. Si tamen et hoc habemus prae oculis, respondemus secundo, indeterminationem illam omnino auferri per hoc ipsum quod singularis substantia vel in suo *esse* ponitur, scilicet in sua naturali conditione relinquitur, vel contra ad aliud assumitur. Nullo argumento probatur enim debere eiusmodi indeterminationem auferri per aliquam dispositionem naturae superadditam; immo in ordine ad *esse,* quo profecto nil intimius rei quae per ipsum est, id repugnare ostendimus. Ita sane male procederet qui ex absoluta possibilitate efficiendi ut panis dimensiones sine pane subsistant, novam entitatulam procrearet, qua illae dimensiones pani afficiantur et non sint extra ipsum. Non ita unquam s. Thomas processit,

neque entia verbis aptavit, sed ex datis entis principiis omnia declaravit.

Ad 2^m, quo contendit adversarius suppositum debere intelligi constitutum antequam exsistat, respondemus vere hoc dici, si referatur ad exsistentiam comparatam rei possibilitati, etenim Petrus quoque possibilis obiective fuit antequam esset. Si autem res sive in hoc sive in illo statu spectatur, concedimus iterum suppositum denominative acceptum, sive id cuius realitati iam debetur exsistentia ut proprius actus, et cui nihil deest in ordine naturae, nempe substantiam singularem et primam, spectari posse ante exsistentiam. Negamus denique sine connotatione propriae exsistentiae suppositum formaliter intelligi; non enim sine illa verificatur definitio *subsistens distinctum,* ubi certissime *subsistens* stat pro habente esse proprium. Et si quis negat illius vocis hanc vim, non cum s. Thoma, non cum tota vetustate loquitur. Quamobrem omnino negavimus terminum a Caietano inductum, et si admitti deberet, subsistentiae notionem habere. Addebantur rationes, quorum primam iam hic praeoccupavimus. — Alteram, quae dicebat suppositum ipsum poni in praedicamento, in quo *esse* non ponitur, solvimus antea ex s. Thoma, dicente poni individuum in praedicamento ratione naturae communis. Quod si admittendum est singulare ipsum, quo principia naturae determinantur, poni sub specie; non tamen ponitur per se secundum rationes individuales, quae sunt extra rationem specificam; sicut ipsa substantia cui competit *sic esse,* nequaquam ponitur secundum suum *esse.* Quamobren in eodem loco scripsit Angelicus: *Sic ergo Christus est in specie humana ratione naturae assumptae, non ratione ipsius hypostasis* (III p. q. II art. ad 3^m). — Ultima ratio fuit quod subsistentia est de formali ratione suppositi, non autem exsistentia; cui reponimus, posse discrimen hoc sine fructu assignari, accipiendo subsistentiam pro abstracto suppositalitatis, quo pacto per ea verba nihil dicitur. Si vero accipitur pro actu quo substantia subsistit, quo pacto eam s. Thomas perpetuo accepit, et si exsistentia accipitur non pro affirmatione rei opposita possibilitati, sed pro actu entis; respondemus, eadem prorsus ratione suppositum se

habere ad subsistentiam et ad exsistentiam, quia idem et unum sunt.

Ad 3^m^, quo dicebatur debere substantiam, prius quam sit, ultimo terminari, concedimus hoc esse verum, prout nihil exsistit non penitus determinatum, quod quidem plenissime habetur per singularem individuationem huius materiae et huius formae neque ulla ratione quae solidam metaphysicam sapiat, aliud suadetur, neque aliud unquam s. Thomas suspicatus est. Lusus verborum ille est, nihil praebet entitatis et veritatis. — Testimonium, ait Caienatus, habemus a linea, quae puncto terminatur. Vividius forte dicere poterat, a corpore quod terminatur figura. Sed, vel admittimus figuram esse veri nominis qualitatem, quae ex quantitate resultat; et tunc accidens est, cui nihil simile in genere substantiae. Vel tenemus punctum praesertim, vel figuram ipsam, spectatam si placet ut limitem extensionis, non esse novum accidens, et tunc dicimus non esse re nisi negationem ulterioris extensionis: ideo tantum est, quia linea non amplius producitur, quia corpus non magis extenditur. Substantia vero determinatur omnino in specie, per formalem rationem essentiae, cui sic *esse* respondet; in numero, per principia individuantia, quibus efficitur ut haec sit, non alia, sub eadem specie. Quod spectat ad exsistentiam, illa omnino, sub virtute causarum omnium efficientium, quae utique praessupponi debent seu praeintelligi, ex realitate huius numericae substantiae exsurgit; neque alia potest esse quae sit creata in hac realitate, neque cogitandum est de mystero Incarnationis, quod est praeter ordinem totius naturae; et si fiet, alio modo, non sibi debito, ea substantia constituetur. Omnia igitur sunt prorsus determinata; neque oppositum obtinetur, nisi fastidiosa subtilitate, a doctrina Angelici Praeceptoris longe remota.

Ad 4^m^ quo arguebat Ioannes a S. Th., in eo recipi *esse* et accidentia in quo est capacitas recipiendi; hanc ergo esse in supposito non in natura, cui proinde aliquid addi debet ut illud fiat, respondemus mirari nos magni viri tale argumentum, quo probaret etiam in anima separata modum personalem esse debere, esse etiam in Humanitate Christi, quae accidentia recipit.

Sed respondetur naturam non recipere esse et accidentia ut abstractam et sub sola formali ratione acceptam; sed ut singularem vel concretam, omnino esse, et primario subiectum sui *esse,* et secundario formarum accidentalium, cum *esse* quae ipsae afferunt. Neque est timendum ut formali naturae haec non maneant impermixta. Ridiculum videtur obicem ponere per modum additum personalitatis; at mixtura non erit ubi, data etiam identitate subiecti recipientis, diversae manent aliorum actuum rationes formales, diversum *esse* quod illas consequitur.

Ad 5^{m}, quo idem Auctor s. Thomae tribuit quod dicat ibi tantum suppositum esse cum natura unum, ubi nullum accidens esse potest, unde sequitur subsistentiam aliud esse a substantia, respondemus distinguendo. Subsistentia aliud est a substantia, quatenus illa refertur ad *esse,* haec ad *essentiam,* concedimus. Aliud est, quatenus spectatur ipsa tantum realitas substantialis, subdistinguo: prouti suppositum est singulare connotans proprium *esse* et excludens assumptionem fieri ad aliud, concedo; prouti includit realitatem distinctam aliquam ordinis essentialis antecedens ipsam exsistentiam, prorsus nego. — Quod vero s. Thomas ait, solum illud suppositum cum natura idem esse quod nihil habet adiunctum, nimis absolute Ioannes a S. Th. id infert a doctrina Aquitatis dicentis ipsum simplex subsistere. Nam si suppositum spectatur secundum ea tantum quae constituunt id *quod est,* omnis natura simplex suppositum est; si accipitur ut cuncta quae ad se pertinent complectens, nullum extra Deum simplex est. Illud demum quod s. Thomas ab Aristotele in ea sententia sumpsit, nec Deum respicit nec spirituales naturas, sed substantiam dumtaxat, oppositam accidentibus: illa est per se, in his unitas est per accidens; quia per albedinem subiectum est album.

Ad 6^{m}, quo concludebatur modus substantiae additus ex eo quod compositum generatur, non forma; et ex peculiari singularitate totius substantiae, quam non eodem pacto habent partes, respondemus mala oblivione hic tegi certissimam doctrinam, qua substantia ipsa integra vere subsistit, minime illius partes, quae nec proprio actu distinguuntur, nec per se terminant actio-

nem vel productionem, nec suum *esse* habent, nec simpliciter sunt *hoc aliquid,* quia primo est id quod per se verificat naturam secundum quam *esse* habetur, et consequenter partes illud *esse* participant. Neque enim per se producitur brachium, sed homo, et homo est primo ens, consequenter et per participationem est brachium. Sed horum omnium unum est fundamentum, quod natura ipsa per se et primo ordinatur ad *esse,* estque terminus cuiusvis actionis effectricis, ex actu vel formaliter vel eminenter simili procedentis; denique ipsa est receptiva ipsius *esse.* Frustra et iniuria nova entitas fingitur, quae horum sit causa.

Ad 7^{m} quo dicebatur Philosophus assignare ut proprietatem substantiae susceptionem accidentium, respondemus ridiculo sophismate inde trahi distinctionem realitatis, quae a substantia emanet et possibilia in subiecto accidentia faciat. Evidenter enim sunt haec modificativa substantiae ipsius, quae proinde ad illa in potentia est, iisque immediate perficitur. Eadem enim primario potentialis est respectu sui esse, secundario respectu accidentium, quae secundum propriam formam novum *esse* inducunt; et hoc cum primo in eodem subiecto recipitur.

Ad 8^{m}, quo exigebatur *terminus qui* et *terminus quo,* antequam exsistentia poneretur actu, respondemus utique requiri determinatum subiectum, quod reale esse acquirat, quum in ordine realitatis quaevis inderminatio repugnet. Est autem certissimum subiectum singulare hoc ex hac materia et ex hac forma; nec quidquam ad id prodesset entitas ut formalia verba serventur procreata et ficta.

Ad 9^{m}, quo testimonia s. Thomae ad fulcimentum modalis termini quaerebantur, frustra omnino in id quemlibet niti respondemus. Quod enim Angelicus suppositum dicat *id quod est,* naturam *id quo illud est,* significat vel naturam accipi abstracte pro ratione formali, suppositum concrete pro singulari; vel naturam accipi ut partem, suppositum ut totum, quia revera *esse,* aliud ab essentia, pertinet ad suppositum et non est de ratione naturae. — Quod dicitur filiatio recipi in supposito non in natura, sentiunt omnes absurde filii denominationem vel partibus vel

rationi abstractae tribui; ad communem sensum pertinet esse illud nomen subsistentis et personae: scilicet illius quod per se est, ideoque est subiectum attributionum. Quod si hoc vere dicimus in communi hominum conditione, ubi tandem ipsa singularis substantia suum esse recipit, quanto magis in Christo Domino, ubi non humanitas habet esse, verum extendit ad illam Filius Dei esse suum, et omnino ipsa exsistit tantum ut qua Verbum est homo. Ipse qui est, filius est. Nulla modalitate addita, ut haec intelligantur, opus est. — Qui vero s. Thomae tribuit ut distinguat naturam, subsistentiam, esse, non advertit ea tantum ratione haec apud illum inveniri, quod *esse* actus est cuiuslibet entis, subsistentia solius substantiae, quae supppositum erit si per se subsistat. Dicit autem *esse* non esse de ratione suppositi, quatenus nulli rei finitae *esse* essentiale est; ipsumque suppositum in ordine possibilium spectari posse, quin actu exsistat. — Deinde natura dicitur qua suppositum est, quia accipitur ut pars formalis, qua fit ut sit haec essentia. Si concrete accipitur, vere esse habet, quia recipit esse, quo pacto ait Angelicus ipsum simplex subsistere; neque hoc sane tolleretur etiamsi modus addi deberet, quo receptivum compleretur. Negari tamen potest naturam directe habere esse, quia non de ipsa ut natura esse praedicatur, sed ut est in hoc singulari; et quia rationem habet partis respectu totius suppositi, multa complectentis praeter naturam. — Deinde, si qua subsistentia dicitur non consequi sed constituere suppositum, illa est quae intelligitur ut ratio formalis suppositi tamquam forma totius; prout vero intelligitur actus simplex, tamquam forma partis, utique constitutionem illius supponit quod dicitur subsistere, seu recipere subsistentiam.

In re quae multiplicem habet considerationem, facile est multa afferre quibus implexa doctrina appareat, et huc illucque sententia cuiuscumque distrahatur. At qui ab ipso Angelico Magistro doctrinam haurit, sine dubitatione discet debere prius intelligi singularem substantiam, quae diversimode in spiritibus et in corporibus constituitur; illi competere per se esse, ut actum potentiae omnino proportionatum; quem actum si recipit, non

natura abstracta, sed concreta et singularis, dicitur *quod est.* Eo ipso dicitur etiam subsistens, certe ab aliis distinctum et in se indivisum; ac naturali modo suppositum est. Non erit amplius suppositum, quia non amplius subsistens, nec secundum esse distincta, si praeter exspectationem omnem, eadem substantia ad participandum alienum *esse* trahatur.

Singulae voces *natura, subsistentia, quod est, suppositum,* diversis significationibus accipi queunt. Natura potest intelligi abstracte et concrete; subsistentia, ut synonimum personae, seu graecum ὑπόστασις latine redditum, vel ut abstractum sicut personalitas, vel ut actus quo quid subsistit; *quod est* vel ut in se recipiens *esse,* vel ut integrum compositum ex substantia recipiente *esse* et ipso *esse;* suppositum, vel denominative ab *esse* quod connotat, seu actu subsistendi, vel formaliter ita ut ipsum esse complectatur, et etiam fortasse accidentia. Quae diversae significationes verborum apud s. Thomam etiam valent, et ex contextu cuiusque sermonis aptam seligere oportet: in quo tamen nulla unquam, nisi quis conclusionem obtinendam praestituat, erit difficultas. Certe inveniet minime cogitasse Aquinatem de complenda singulari natura ut suum esse recipiat; minime subsistentiam aliter definisse quam per actum quo substantia suo modo est.

Articulus VII.

Utrum subsistentia idem sit ac propria exsistentia substantiae.

Videtur subsistentia ab exsistentia quae substantiae competit propria ratione differre. Subsistentia enim idem est ac suppositum vel persona: quo pacto tres subsistentiae affirmantur in Deo, una in Christo. Atqui evidenter suppositum non est exsistentia: unum est enim esse in Deo; creatum vero suppositum imprimis substantiam ipsam designat, quae non est suum esse. Ergo subsistentia ab exsistentia prorsus differt.

2. Sed dicetur alio modo accipi subsistentiam concrete, alio modo pro actu quo suppositum formaliter constituitur. Atqui neque ipsa substantialis exsistentia suppositum constituit. Actus

enim formalis ubi est, ibi vera est denominatio consequens. Atqui exsistentia esse potest in subiecto imperfecto, cuiusmodi est anima humana separata, quae tamen non est persona. Ergo non formaliter per substantialem exsistentiam suppositum constituitur, neque illa proinde subsistentia est.

3. Praeterea subsistentia, vel ratio suppositi seu personae, maximam perfectionem importat. Contra exsistentia, et est rei imperfectae, ut accidentis; vel partis incompletae, et non per se perfectionem affert sed simpliciter actuat quod in re invenit. Similiter dignitas personae, quae etiam magna est, nequaquam per actum exsistendi, sed per id quod huic actui subiicitur et praesupponitur, constituta intelligitur. Ergo subsistentia, sive actus quo suppositum vel persona formaliter constituitur, non est ipsa exsistentia substantiae.

4. Praeterea subsistentia est de ratione ac definitione creati suppositi; exsistentia non est. Ergo differunt.

5. Praeterea subsistentia confert independentiam ab alio et confert incommunicabilitatem. Atqui per has notiones natura nondum est extra causas, seu non actu exsistit; iterum, ipsa exsistentia non facit naturam incommunicabilem, neque prorsus impedit quominus ab alio assumi queat. Ergo subsistentia ab actuali exsistentia omnino differt.

Sed contra est manifesta auctoritas s. Thomae, numquam aliter subsistentiam definientis, quam ut propriam substantiae exsistentiam. Tria nimirum sunt loca, ubi s. Doctor subsistentiae notionem explicite sibi tradendam proponit, eaque in primo opere suae iuventutis et in ultimo suae aetatis inveniuntur. Porro eadem prorsus sententia loquitur, sive in I Dist. XXIII q. I art. I, sive in IX de Pot. art. I, sive in I p. Summae q. XXIX art. II. In Sententiarum commentario haec habet: « Dicendum est secundum Boetium, ut sumatur differentia horum nominum *essentia, subsistentia, substantia,* secundum significationem actuum, a quibus imponuntur, scilicet *esse, subsistere, substare.* Patet enim quod *esse* commune quoddam est, et non denominat aliquem modum essendi; *subsistere* autem dicit determinatum modum essendi, prout scilicet aliquid est ens per

se, non in alio sicut accidens; *substare* autem idem est quod sub alio poni. Inde patet quod *esse* dicit id quod est commune omnibus generibus; sed subsistere et substare id quod est proprium primo praedicamento, secundum duo quae sibi conveniunt: quod scilicet sit ens in se completum, et iterum quod omnibus aliis substernatur accidentibus, scilicet quae in substantia esse habent. Unde dico quod *essentia* dicitur cuius actus est esse, *subsistentia* cuius actus est subsistere, *substantia* cuius actus est substare. Hoc autem dicitur dupliciter, sicut in singulis patet. Esse enim est actus alicuius ut *quod est,* sicut calefacere est actus calefacientis, et est alicuius ut *quo est,* scilicet quo denominatur esse sicut calefacere est actus caloris... Similiter etiam subsistere est actus alicuius ut quod subsistit vel ut quo subsistit. Cum autem subsistere dicat esse determinatum, et tota determinatio essendi consequatur formam quae terminus est, constat quod aliquid denominatur subsistens per primam formam quae est in genere substantiae, sicut album per albedinem et animatum per animam; et ideo in *Praedicamentis* dicit Boetius quod οὐσίωσις vel subsistentia est forma accipiens subsistentiam, pro quo subsistitur. *Si autem accipiatur subsistentia pro eo quod subsistit,* sic proprie dicitur illud in quo per prius invenitur talis natura cum hoc modo essendi. Et cum per prius inveniatur in substantia, secundum quod substantia est, et deinceps in aliis, secundum quod propinquius se habent ad substantiam, constat quod nomen subsistentiae per prius convenit generibus et speciebus in genere substantiae..., et individuis non convenit habere tale esse, nisi in quantum sunt sub tali natura communi. Quamvis enim genera et species non subsistant nisi in individuis quorum est esse, tamen determinatio essendi fit ex natura vel quidditate superiori. Similiter ὑπόστασις vel substantia dicitur dupliciter: vel id quo substatur, et quia primum principium substandi est materia, ideo dicit Boetius quod ὑπόστασις est materia; vel quod substat, et hoc est per prius individuum in genere substantiae. Genera enim et species non substant accidentibus, nisi ratione individuorum, et ideo nomen substantiae primo et principaliter convenit particularibus substantiis, secun-

dum Philosophum (cap. de subst.) et secundum Boetium (de duabus naturis). Sic ergo patet differentia istorum tripliciter. Quia, si accipiatur unumquodque ut quo est, sic essentia significat quidditatem, ut est forma totius, οὐσίωσις formam partis, ὑπόστασις materiam. Si autem sumatur unumquodque ut quod est, sic unum et idem dicitur essentia in quantum habet esse; subsistentia in quantum habet tale esse, scilicet absolutum, et hoc per prius convenit generibus et speciebus quam individuis; et substantia, secundum quod substat accidentibus, et hoc per prius convenit individuis quam generibus et speciebus ». Hactenus s. Doctor, qui haec iuvenili aetate scribebat, minus lucide fortasse quam scripsit provectior; sed clare ostendit se non aliud pro subsistentia accipere quam esse proprium substantiae, ita ut illam prius videat in natura communi, ratione cuius formaliter singulari competit esse in se et non in alio, quam in ipso individuo, ratione cuius nihilominus natura communis realitatem habet et vere subsistit. Certe autem subsistentiam et reliqua huic propinqua in ordine ad suppositum vel personam heic s. Thomas considerat, acturus scilicet de Trinitate; et post allata verba prosequitur: « Ulterius hoc nomen *persona* significat substantiam particularem, prout subiicitur proprietati quae sonat dignitatem ».

Provectior ergo aetate s. Thomas, in quaestionibus disputatis de *Potentia*, monet praeter consuetudinem loquendi positam esse determinationem Boetii, tribuentis praecipue subsistentiam generibus et speciebus (q. IX, art. I, ad 5^{m}), et praecipue vocantis ὑπόστασιν materiam, eo quod haec sit maxime passiva ideoque principium patiendi ac substandi (ib. in fine, ad rat. in opp.). Simplicius autem procedit in assignanda ratione eorumdem nominum, essentia, subsistentia, substantia. Et postquam declaravit distinctionem naturae communis a singulari in compositis, ait: « Substantia quae est subiectum, duo habet propria. Quorum primum est quod non indiget extrinseco fundamento in quo sustentetur, sed sustentatur in seipsa, et ideo dicitur *subsistere, quasi per se et non in alio exsistens.* Aliud vero est quod est fundamentum accidentibus, sustentans ipsa,

et pro tanto dicitur substare. Sic igitur substantia quae est subiectum (intellige : quae non tantum est principium substantiale, ut materia), in quantum subsistit, dicitur οὐσίωσις vel subsistentia ; in quantum vero substat, dicitur ὑπόστασις secundum graecos, vel substantia prima secundum latinos. Patet igitur quod hypostasis et substantia differunt ratione, sed sunt idem re » (l. c. in c.).

Denique in *Summa*, ubi quaerit, de Trinitate agens, quid sit persona, paucioribus verbis ampliorem doctrinam complexus, sic respondet : « Secundum Philosophum in V. Met., substantia dicitur dupliciter. Uno modo dicitur substantia quidditas rei, quam significat definitio, secundum quod dicimus quod definitio significat substantiam rei ; quam quidem substantiam Graeci οὐσίαν vocant, quod nos *essentiam* dicere possumus. Alio modo dicitur substantia subiectum, vel suppositum, quod subsistit in genere substantiae. Et hoc quidem communiter accipiendo, nominari potest nomine significante intentionem. Et sic dicitur *suppositum*. Nominatur autem tribus nominibus significantibus rem, quae quidem sunt : *res naturae, subsistentia* et *hypostasis,* secundum triplicem considerationem substantiae sic dictae. Secundum enim quod per se exsistit et non in alio, vocatur *subsistentia ;* illa enim subsistere dicimus, quae non in alio sed in se exsistunt. Secundum vero quod supponitur alicui naturae communi, sic dicitur *res naturae ;* sicut hic homo est res naturae humanae. Secundum vero quod supponitur accidentibus, dicitur hypostasis vel substantia ». His iterum patet, non aliam in mente Angelici Doctoris fuisse subsistentiae notionem, quam quae exsistentiam substantialem exhibet, sive illam quae subiecto competit, prout illud in se est et non in alio. Esse autem in alio, si naturam rerum spectamus, vel est actus a primo distinctus eique superadditus, et sic exhibetur nobis esse accidentale ; vel habetur ut participatio ipsius actus primi, quo subiectum subsistit, et sic habentur partes vel essentiales vel integrantes. Utrique opponitur quod est in se ac subsistit, ut natura singularis et integra.

Eadem subsistentiae notione, perpetuo loquitur s. Thomas, ea omnia subsistere dicens quae, etiam ut subiecta imperfecta,

proprium actum quo sunt in se habent. Propterea unum idemque est illi inquirere utrum anima humana proprium esse habeat, independens a corpore, vel utrum *sit subsistens :* qua voce quaestionem proponit I p. q. LXXV art. II. Itemque de accidentibus a pane et vino in Eucharistia seiunctis ea subsistere dicit (IV C. G. c. LXV). Non aliud ergo illi est *subsistere* quam per actum in se receptum exsistere, ex quo subsistentiae rationem s. Doctor accipit.

Assertio. *Subsistentiae nomen concrete et abstracte accipi potest. Si concrete, idem est ac hypostasis ; si abstracte, iterum duplicem significationem habet, nempe vel ut forma totius vel ut forma partis. Si accipitur ut forma totius, idem est ac ratio hypostatica, ea complectens quibus hypostasis intelligitur constituta, non secus ac humanitas dicit principia, quibus constat homo. Si accipitur ut forma partis, dicimus subsistentiam non aliud esse, quam ipsam exsistentiam, qua aliquid primo est, sicuti substantiae competit, non in alio vel ut accidens vel ut pars.*

Verborum vis procul dubio ab usu pendet, *quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi :* verba enim sunt significativa ad placitum. Contigit tamen ut nomini subsistentiae non eadem vis maneret apud omnes, labentibus saeculis. Primo nimirum concreta significatione, non secus ac solet et nunc intelligi vox substantia, subsistentia quoque accepta est. Quaerebant Latini prioribus saeculis aevi christiani quo vocabulo reddere deberent quod Graeci ὑπόστασιν vocabant ; neque aliud quam *substantia* inveniebant. De Trinitate praecipue agebatur Porro, quia substantia pro concreta essentia adhibebatur, ipsamque entitatem qua res quaeque in sua natura constituitur designabat, vox erat fidelium aurium laesiva, si tres substantiae in Deo esse dicerentur. Libentius igitur ea vox mittebatur, et esse in Deo tres personas latini doctores aiebant. Verum premebant Graeci, obiicientes personam symbolica tantum significatione accipi posse, et exprobrantes Latinis eorum idiomatis ruditatem, qua ὑπόστασιν bene reddere nescirent. Tunc demum, ad finem quarti saeculi, vel quinti initium, a verbo *subsistere* iampridem usurpato, nomen *subsistentia* derivatum est. Et concrete intel-

lectum est, ad designandum scilicet id quod in se subsistit, ut integrum quid non ad aliud pertinens; itaque ex ordine rei ad ipsam exsistentiam nomen acceptum fuit, quin neque conceptum essentiae vel naturae (οὐσίαν vel φύσιν) in mentem revocaret, neque respectu accidentium quidquam diceret. Eo pacto purius certe quam substantia rem in se positam designavit, ac sine aurium laesione potuerunt christiani dicere esse in Deo tres subsistentias relatione distinctas, non secus ac tres personae dicuntur.

Primum qui subsistentiam a *subsistere* deduxit, Rufinus videtur; et bene discrimen a substantia assignavit dum scripsit: *Quia substantia rei alicuius naturam rationemque qua constat designat, subsistentia autem uniuscuiusque personae hoc ipsum quod exstat et subsistit ostendit* (Hist. eccles. l. I, c. 29; ML. 21 499 s). Cumque animadvertisset Latinos verbum *subsistere* pro tribus in Deo personis adhibere, Graecos vero eos vocare hypostases, iure exsistimavit dissidium omne esse componendum, novum nomen ab eo verbo derivatum, loco antiquioris quod erat substantia, in usum ducendo. Non vero statim ab omnibus fuit cognitum vel probatum. Illud ignorasse videtur s. Augustinus; anno 480 adhibuit Faustus Rhegiensis: « Sicut in subsistentia triplex Deus (melius diceretur *trinus*), quia sibi quisque subsistit, ita in substantia simplex quia unus seipsum praecedere nesciens, nec posteriorem recipit, nec priorem. » (Ep. VII; ML. 58 858); anno fere 500 adhibuit Paschasius diac.: « In una Deitate tria nomina, non tria regna; tres appellationes, non potestates; tres hypostases vel subsistentiae, sed non tres substantiae » (de Sp. S. l. I, c. IV; ML. 62, 13). Deinde eadem voce usus est Boetius, qui tamen eius discrimen a voce *substantia* non bene sensit, et minus auspicate subsistentiam putavit respondere graecae dictioni οὐσίωσις neque stetit in rufiniana interpretatione quae utramque vocem ὑπόστασι aequipollentem faciebat, et hanc ab ὑφιστάναι deducebat. Huic deductioni et Damascenus serius consensit. Boetius vero, cui mediae aetatis Scholastici unanimes in hac re crediderunt, substantiae ὑπόστασιν, subsistentiae οὐσίωσιν respondere voluit, et post hoc substantiae vim in ordine ad ea quibus substat invenit, subsistentiam vero per hoc quod est esse in se,

sine distincto fulcimento, bene interpretatus est. Postremum hoc libenter et s. Thomas accepit ; qui tamen quod nimium fuit in Boetii opinione, quod nempe subsistere primo tribui debeat universalibus, quatenus essentia ipsa ratio est cur singularibus competat esse in se, et quod substare praecipue materiae conveniat, ut potentiali principio, quod tamen accidentium non est per se susceptivum, Angelicus Doctor in commentario Sententiarum tantum exposuit, in qq. disputatis temperavit, in Summa prorsus emendavit.

Verum denique est subsistentiae nomen concrete acceptum pro synonimo suppositi vel personae, seu subsistentis distincti, non secus ac nomen substantiae pro re ipsa cui ex natura sua competit subsistere, adhiberi in Ecclesia consuevisse : quo pacto et tres esse in Deo subsistentias (Conc. Later. a. 649 ; D. 254), et unionem Verbi cum humanitate factam esse secundum subsistentiam (Conc. Ephes. can. 2, sec. vers. Marii Merc.; D. 114), definitum fuit. Eademque significatione concreta, qua subsistentia hypostasi aequivalet, idem verbum s. Thomas saepe usurpavit, ubi de unione Verbi Incarnati quaestio fuit. Non ita usurpavit cum de Trinitate ageret, ubi subsistentia divinum ipsum Esse potius illi repraesentat, et ex alio capite, nempe a relationibus, personarum distinctionem repetit. Hoc non ad nos nunc pertinet. Subsistentia concrete idem est ac suppositum vel persona.

At saepius fortasse, apud s. Thomam praesertim, subsistentia abstracte accipitur pro forma subsistentis ; et in hoc opponitur, licet sit similis vocabuli derivatio, voci *substantia ;* haec enim concrete semper pro ipsa re quae primo est *hoc aliquid* intelligitur ; subsistentia significatione magis formali accipi solet. Porro hoc etiam pacto duplicem patitur interpretationem : vel scilicet ut forma totius, sicut humanitas ; vel ut forma partis, sicut anima.

Forma totius est ratio abstracta compositi, complectens scilicet partes omnes quae ad totum constituendum requiruntur, sed illas exhibens secundum formalem rationem, quae ab individuatione, exsistentiae praerequisita, sive a principiorum sin-

gulari determinatione, ideoque ab actu in re exsistendi praescindit. Ita humanitas dicit rationem essentialem ex anima rationali et corpore organico exsurgentem, et sic in intellectu tantum est, et solum secundum cogitationem hominem informat: non enim pars superest quae re ab integra humanitate formetur. Similiter subsistentia potest accipi ut ratio formalis personae vel suppositi, ita ut significet personalitatem. Haec autem rationem dicit formaliter et abstracte totius illius notarum complexus quo, quaecumque sit natura, persona vel suppositum integre constituuntur; quo est substantia, quo subsistit, quo incommunicabilis est. Idem erit quaerere quid sit subsistentia et quid suppositum: modo abstracte exprimatur ratio formalis eadem quae concrete in definitione suppositi exhibetur.

Forma partis est quae non compositum, sed partem nominat ipsius formalem ac determinantem, cui alia pars opponitur ut potentia determinationem accipiens. Ita anima forma est humani corporis, et materia pars est vere accipiens ab anima certam naturam et vitam et actum primum quo est id quod est. Manet ergo extra animam realis pars hominis constitutiva: contra, non manebat extra humanitatem pars quae ipsam reciperet, nisi secundum modum cogitandi et loquendi. Iamvero de subsistente quaeritur quinam sit actus, quo in ratione formali suppositi constituitur. Suppositum est enim certe ante omnia substantia, eaque singularis; sed ex ratione patet non idem prorsus esse substantiam, cui competit esse in se, et subsistens quod esse in se formaliter significat; deinde ex fide novimus, substantiam singularem et integram haberi posse, cui tamen ratio suppositi vel subsistentis distincti non sit tribuenda. Ergo substantia per se accepta in potentia est ad hoc ut ultimo subsistens dicatur.

Utique in potentia est, non secus ac est in potentia ad propriam exsistentiam actu habendam. Erit enim suppositum, si erit subsistens distinctum, quae suppositi definitio est. Atqui subsistens dicimus quod per se, sive suo actu, exsistit. Perfecte vero subsistit, si eiusdem actus sit subiectum integrum ipsique proportionatum. Non aliam notionem eius verbi *subsistere* Rufinus

tradebat, non aliam s. Ioannes Damascenus, non aliam s. Thomas, ut supra declaravimus; non aliam assignare possumus, si quid reale exhibere velimus; et non, quia novam vocem proferimus, phantasma quoddam novae entitatis ideo fingamus. Ex principiis entis aliunde habitis notionem personae vel subsistentiae declarandam suscepimus; non autem verbis novas formas aptatas creamus. Porro *subsistere* et *subsistentia* non sunt in ulla ratione naturae vel essentiae. Haec una prorsus est in Deo, licet sint personae tres; haec omnino duplex, et utraque immutata atque integra est in Christo, etsi una est subsistentia. Ergo in ordine ipsius exsistentiae, quae essentiae opponitur, quaerendum superest. Hoc dicimus, non ad Trinitatem spectantes, ubi non ex parte subsistentiae sed relationis distinctio exsurgit. Ergo, si stamus iis quae ratio novit, subsistens dicitur quod per se exsistit; subsistentia est actus quo illud hoc modo exsistit.

Alia nota suppositi distinctio est, qua scilicet subsistens est unum in se, ab aliis divisum. Hoc analogice, remota sane analogia, in Trinitate per relativam oppositionem obtinetur. At extra Deum, in quo uno rationes cuiuscumque absolutae perfectionis in ipsius Esse simplicissima infinitate continentur, distinctio secundum actum exsistendi distinctionem sequitur secundum rationes formales essentiarum, quibus proprium esse attemperatur. At si, praeter rerum naturam, fieri potest ut esse naturam non sequatur, ac duplicis substantiae unum sit subsistere, ecce distinctio quoque, quae secundum esse intercedere deberet, ablata erit. Et si ex iis, substantia altera ad superioris esse participandum quocumque miraculo deducta fuerit, iam illa sicut non per se subsistit, ita nec secundum esse erit distincta. Hoc ipso etiam non erit in se quid totum, sed rationem partis (non fortasse ipsum subsistens constituentis, sed ut ad illius esse utcumque in se habendum pertractae) accipiet. Hoc ipso praeterea non amplius erit *incommunicata;* sed illi, cuius esse participat, iam erit tribuenda, ac de illo, concreta denominatione, erit praedicanda. Concreta, inquam, sicut dicitur Verbum esse homo, minime esse humanitas. Omnes igitur supposita notae ac proprie-

tates veritatem habent, eo quod integra substantia per suum actum est, scilicet in suo esse consistit; omnes eo ipso pereunt quod a substantia suum esse aufertur. Unde patet in hoc uno, scilicet in actu propriae exsistentiae, quae reipsa a substantia, non exigitur tantum, sed ut vere habita connotatur, pro qualibet finita natura, quae aliud est a suo esse, et formalem rationem suppositi fundari, et actum subsistentiae, ut formae a subiecto distinctae, necessario agnosci.

Quae argumentatio hoc syllogismo continetur: Ille actus subsistentiam constituit, quo formaliter habetur subsistens distinctum, et quem suppositi proprietates illico consequuntur. Atqui exsistentia, quam integra substantia connotat ut sibi debitam et in se habitam, formaliter subsistentem constituit, eamdemque suppositi proprietates consequuntur. Ergo ipsa exsistentia substantialis subsistentia est, ut forma seu proprius actus suppositi.

Cetera vero quae ab aliis proferuntur, vel iniuria supponunt aliquid entitatis novae significari nomine personae vel suppositi, quo non designatur nisi subiectum ex principiis entis aliunde notis constitutum; vel nihil dicunt, et notiones exhibent quae nullam habent determinationem; vel denique aliquid designant, quod ad personam requiri potest, non tamen formaliter personam ipsam vel personae unitatem constituit.

Primae obiectionis solutio ex tota explicatione patet hactenus scripta. Procedebat enim obiectio ex identitate suppositi, seu subsistentiae concrete acceptae, cum subsistentia spectata ut forma partis. Certe autem omne creatum suppositum ab actu quo est distinguitur; increatum vero non ex subsistentia at ex principio penitus diverso in ipso Deo distinctionem habet. A creaturis utique per ipsam puritatem sui Esse divina Essentia secernitur; sed consideratio divinae Personae prorsus alia est. Manet scilicet etiam in Trinitate definitio, et ratio formalis quae continetur verbis: *subsistens distinctum;* verum entitativa harum notarum veritas singulari et penitus novo processu constituitur.

Ad 2^{m} quo dicebatur, si exsistentia sit subsistentia, ubicumque illa est et hanc esse debere, quod non est verum; re-

ponimus in creaturis vix non esse verum; quia unicum exemplum est animae separatae, quae ad rationem personae proxime accedit et vix non pervenit. Ceterum eo ipso persona non est, quod esse in se habet non ut in integro subiecto; quamobrem et imperfecte exsistit et imperfecte subsistit. Praeterea hoc ipso deficit in nota distinctionis: postulat enim seipsam ut formam, et suum actum quo est, corpori communicare, quo et integrum subiectum et perfectum subsistens constituatur.

Ad 3^{m} quo obiiciebatur, Caietano auctore, maximam esse personae dignitatem, quam non confert sed invenit et actuat ipsa exsistentia, respondemus maxime perfectam esse personam in ordine ad ipsum esse, propter modum quo dicit se exsistere, scilicet independenter et ut sui iuris: non opus est naturam id exigentem nova entitate perficere. Praeterea ipsum esse ultima actualitas est omnis formae, ideoque est per se nobilissimus actus. Maxime etiam ad Deum accedit, cuius natura est esse. Multa igitur falsa sunt in obiectione illa. Hic enim non attendimus ad multiplicem perfectionem substantiarum, mutando speciem; non ad illam quae ex qualitatibus, operationibus, meritis iuribusque diversimode exsurgit, quo pacto nulla est dignitas Satanae, magna humilis christiani; verum ad modum dumtaxat exsistendi, nempe in seipso subsistendi. Porro in hoc aequantur homines cuncti; et fundatur omnino in ratione substantiae, et quoad personam perficitur in natura intellectuali, formaliter demum completur per ipsum actum quem natura postulat, quem substantia sibi relicta connotat ut sibi vere additum, propriae exsistentiae.

Ad 4^{m} quo dicebatur subsistentia esse de ratione suppositi, exsistentia vero non esse, respondemus exsistentiam non esse prout affirmat subiectum exercite poni in rerum universitate extra mentem et extra causas, prout scilicet hoc opponitur soli rerum possibilitati; etenim etiam sola mentis consideratione spectare licet supposita, ut quae Deus creabit, si voluerit. Pertinet autem ad rationem suppositi sua exsistentia, ut signata et ut simul cum essentia accepta. Eaque exsistentia in ordine possibilium spectata subsistentia vocanda est, non secus ac erit, si

substantia cum suo esse extra causas posita fuerit. Hac ratione s. Thomas scripsit: *Esse pertinet ad ipsam constitutionem personae* (III p., q. XIX, art. I, ad 4[m]). Optime etiam in aureo opusculo, quod inter opera Aquinatis legitur, etsi critici illud legitimum negant, bene fert tamen nomen Auctoris cui utcumque tribuitur, scilicet in summa logicae Aristotelis, tract. II, cap. II, dicitur: *In quacumque substantia creata est compositio esse et essentiae, quae non est compositio materiae et formae, sed est compositio duorum principiorum suppositi, quorum essentia est potentia et esse est actus.*

Ad 5[m] quo dicebatur nihil facere exsistentiam ad incommunicabilitatem, quae suppositi est proprietas, respondemus vix aliquid magis falsum dici posse. Etenim, minime quaestio agitur de absoluta possibilitate respectu divinae omnipotentiae, ita ut metaphysice absurda evadat assumptio substantiae iam prius exsistentis, ac proinde per se subsistentis, ad divinam Personam, etsi minus id convenire videatur, propter suppositi iam in se positi corruptionem. Haec autem possibilitas nec per esse proprium, nec per fictam ullam modalem realitatem seu terminationem, auferetur unquam. Quaestio est utrum in sensu composito cum hac terminatione vel cum propria exsistentia, illa assumptio cogitari queat. Ac dicimus nullo pacto nos intelligere quid ad hoc facere valeat terminus additus singularitati, qua omnino iam est determinatum individuum. Utique sub hac conceptione ille terminus definitur: iterum quid revera esse queat, non apparet. Contra, plenissime apparet per *esse* proprium formaliter et absolute impediri, quominus eadem substantia, quamdiu eo pacto est, sit alterius: repugnat metaphysice et ex intima ratione conceptuum, vere nunc realium, ut non sit per se subsistens quod per se subsistit. Atqui quod est per esse proprium — est ipsissima subsistentiae sive substantialis exsistentiae definitio — per se subsistit; et hoc ipso de alio praedicari, vel alii ut pars tribui nequit; quod est esse incommunicabile. Huc ergo facit omnino esse vel non esse per se; nihil facit terminus ad hoc arbitrio excogitatus.

Hanc doctrinam ab Angelico Doctore haustam, eo quoque titulo tamquam certam propugnamus, quod ab ipso Philosopho derivata, simplicissima ratione concepta, nullo artificio implexa, suppositi notionem a natura accipit, et secundum eamdem mysterium affirmat. Non enim intelligimus qua utilitate entitatem novam fingimus, qua suppositum in seipso mysteriosum reddamus, ut deinde in affirmatione fidei non sola obscura sit terminorum compositio, sed et ipsi termini clarum conceptum fugiant. Atqui non ita s. Thomas qui notiones rectae philosophiae integras et immutatas dogmatis credendis aptat semper. *Suppositum est subsistens distinctum.* Subsistentia est *quo* substantia suo modo est; distinctio in ipsa entitate vel multiplicitate ipsius *esse* fundatur, unica data exceptione Trinitatis, ubi divinum *Esse* relationes quoque oppositas in sua simplicitate complectitur. At formaliter ea definitio semper et ubique, in Deo, in Christo Iesu, in angelis, in hominibus, in naturis omnibus, vera est. Non opus est artificiosa additione, et frustra fingitur modus quo substantia in se claudatur. Sua singularitate clauditur, et per *esse* proprium formaliter in se ita constituitur, ut simul absolute repugnet communicatio cum alio. Per principia entis iam cognita, ita de supposito ratiocinamur. Alii vel in ipsa ratione suppositi novam quamdam entitatem, novo verbo respondentem, imaginantur; vel subsistentiae novam significationem et vim tribuunt; vel modales realitates ad suam doctrinam defendendam procreant; vel tandem sistunt in verbis, quae disputationem protrahunt, sed nihil afferunt rei, in quo sit vere ponendum mysterium et in quo intellectus quiescat.

Articulus VIII.

Utrum notio subsistentiae mutari debeat propter fidem Incarnationis.

Videtur alia notio subsistentiae, quae suppositi actus est, ex necessitate fidei esse efformanda, quam quae a sola ratione deduci posset. Etenim: 1° sola ratio non realiter suppositum a singulari et perfecta substantia distinxisset. Atqui ex fide realem

distinctionem asserere debemus. Ergo alia notio suppositi et subsistentiae concipienda est.

2. Immo ex fide habemus realem unius ab altero separationem; quod nunquam naturalis intellectus suspicari potuisset. Ergo sicut prius.

3. Praeterea, catholici auctores eam necessitatem plerique sentiunt et profitentur. Hic igitur veritati theologicae philosophica sententia aptari debet et ancillari.

Sed contra est quod Ecclesiae Doctores, ut mysterium Incarnationis exponerent, rationem hypostasis omnino a natura acceperunt, et communia exempla huius lapidis, illius equi, hominis Petri, non alia, sumpsere semper. Patet prasertim auctoritate s. Ioannis Damasceni (Dialect. c. XLIII et seqq.; De fide orth. l. III, c. VII; MG. 94, 613. 1008 ss). Naturalis ergo subsistentiae conceptus retinendus est.

Assertio. — *Iure s. Thomas suppositi et subsistentiae formalem conceptum retinet, quem ratio ex natura colligit; quae vero ceteri attulerunt ad notionem subsistentiae mutandam, quo unionem hypostaticam explicarent, vel falsa sunt, vel nullam habent utilitatem.*

Aliam esse formalem rationem naturae substantialis, aliam suppositi secundum illam subsistentis, praesertim in ordine corporeo, ubi intra eamdem speciem individua multiplicantur, intellectus sponte agnoscit. Cum vero ad naturam singularem in concreta atque integra substantia deventum est, eam a supposito re seiungi posse philosophus nesciret: adhuc tamen ratione, seu formaliter, distinguere cogeretur, modo attenderet haberi in supposito exsistentiae actum atque accidentia, quae sane illi tribui debent, et quae sunt extra rationem substantiae, etiam singularis. Ipsum suppositum proinde intelligeret ut singularem substantiam sub ratione in se subsistentis et subiecti praedicationum, sua unitate in se praediti et ab aliis rebus divisi: quas notas bene exhibet definitio: *subsistens distinctum.*

Haec est porro formalis ratio, quae ubique veritatem habet, in supposito divino et angelico et humano; nisi quod entitativa realitas, quae definitioni respondet, pro diverso ordine rerum

alia est. Mirabili et rationi inexspectato modo divinis personis applicatur, etsi ipsius *esse,* vel absolutae subsistentiae, sit ibi infinita unitas et simplicitas, atque a relativa oppositione distinctio sumatur. Extra Deum, distinctio sequitur ipsum *esse:* esse enim ex essentiae principiis resultans, naturali necessitate ipsius essentiae rationem sequitur. At in hoc mysterium Incarnationis novum quid exhibet. Est enim in Christo Domino singularis et integra humanitas, quae sua subsistentia destituta est, divinam vero aeterni Filii participat.

Quod hic asserimus ad fidem pertinet. Sed in quo haec subsistentia, qua Christi humanitas caret, constituta est? Prouti subsistentia concrete personam, abstracte personalitatem significat; iterum, prout persona subiectum dicit in se stans, cui tribuuntur natura, proprietates, operationes, ita ut Verbum Dei vere sit homo, et vere sit natum et passum, secundum illa quae in assumpta humanitate, ex Maria Virgine efformata, perfecta fuisse novimus, notio est omnibus recepta, sed simul, quod ad rei entitatem et causam formalem assignandam spectat, adhuc valde indeterminata.

Scilicet *persona,* vel *suppositum,* vel si quae sunt aliae voces affines, non aliquam propriam entitatem per se afferunt ac significant, sicut cum actualitas quaelibet formalis, sive substantiae sive accidentis, nominatur; at nomina sunt inventa ad designandum sub peculiari ratione id quod aliunde ex principiis entis constitutum est. Fidem profiteris, aiendo tres in Deo esse personas; at nihil entitativae constitutionis eo verbo declaras, ut innuebat s. Augustinus, cum scriberet id a nobis dici, quia non aliud melius prostat quod dicamus; aliquid tamen entitative explicas, cum ais Personas illas essentia subsistere, relatione distingui. Fidem pariter profiteris, cum unam asseris in Christo personam, et ais secundum personalitatem factam esse duarum naturarum unionem; at non ita explicas in quo sit actus entitative duabus naturis reipsa communis. Persona scilicet non per se quidquam novae entitatis importat; at nomen est, quod iam aliunde ex principiis entis constitutum designat.

Porro in quo revera hic actus situs sit, non determinat ulterius fides; atque ideo in illo assignando theologi diversi abeunt. Et multi putant naturalem notionem non sufficere, eamque propter novum mysterium esse mutandam vel complendam, acriter contendunt.

Iure autem in notione accepta a sana philosophia, Angelicus Doctor quem sequimur, omnino perstat. Scilicet, non secus ac in quaestione omni a disputatione de Christo Dño longe remota *subsistens* rite vocatur quod est per se, ut receptivum vel ut subiectum sui actus quo exsistit, neque inhaeret alii ut accidens, neque ad aliud pertinet ut pars; et animam hominis extra corpus et dimensiones in Eucharistia s. Thomas dicit *subsistere;* congrue *subsistentiam* vocat actum ipsum quo exsistit quodcumque eo modo exsistit, qui modus proprie substantiae competit integrae; non secus, inquam, cum de Incarnatione agit, *subsistens* et *subsistentiam* eadem immutata significatione accipit, et quidquid sit de singulari modo verificandi ipsam notionem, hanc formaliter retinet, quam a natura accepit. Iure prorsus. Revelatio enim non rerum novas species nobis infundit; nec fidei doctrina conceptibus sive simplicibus apprehensionibus, at enunciationibus continetur, quibus praeter naturae modum notiones ipsas e natura haustas componimus (II^{a} II^{ae} q. I, art. II). Cum igitur unam personam et unam subsistentiam Verbi incarnati asserere debemus, conceptus rectae rationis non novos novo ordine iungimus; et in hoc erit mysterium, quin illud aptis temperamentis facilius reddere et hoc ipso imminuere atque a veritate detorquere velimus. Persona adhuc erit subsistens distinctum in rationali natura; subsistens quod per se est; subsistentia, ipse actus quo quid per se exsistit.

Sed neque ad intelligendum facilius alii aliter sentientes reddiderunt. Agitur enim non de fidei professione, qua unionem hypostaticam, non intentionalem cum Nestorio, sed entitativam cum Ecclesia, catholici omnes affirmamus; verum agitur de fide quaerente intellectum, ac de solvenda quaestione in quo sit posita realis mutatio, qua Christi humanitas, potius quam sit humanum suppositum, participat divinam subsistentiam.

Qui enim respondent in hoc totum esse, quod humana natura divinam Verbi subsistentiam participat, subsistentiamque personae faciunt synonimam, mente aversi obliviscuntur, et hoc esse quod quaeritur, et personam nullum per se actum addere principiis entis aliunde cognitis.

Qui dicunt personam haberi per negationem unionis cum superiore, male supponunt et per se negationem aliquid menti exhibere, et unionem intelligi, quin actus assignetur in quo sit unio. Pluries vero diximus nihil afferri per hoc quod actus personalis nominatur, nisi per alia declaretur.

Qui dicunt rationem suppositi sistere in hoc quod est quid totum in se, et humanitatem Christi habere rationem partis, vere dicunt, at nihil explicant, quum et illae notiones totius et partis transcendant certum genus, et prorsus indigeant determinari, ut ratio habeatur totius et partis. Si dicunt in ratione suppositi, inani circulo vertuntur.

Frustra Scotus loquutus est de independentia, quae primo adspectu intentionale aliquid exhibere videretur, ita ut quidam, iniuria sui Magistri, in Nestorii errorem laberentur; entitative autem non aliud affert praeter notiones totius et partis, quae verae sunt, sed nihil lucis afferunt.

Frustra dixerunt alii suppositum esse in se, humanitatem Christi esse in Verbo. Recte, sed nihil declaratur, quamdiu non apparet quid loquutio illa importet: *esse in se, esse in alio.* Num sicut contentum in continente? Num sicut effectus in causa? Num sicut pars in toto? Utique hoc postremum; at nisi nostro modo, quem seq. art. declarabimus, intelligatur, ex superius dictis nihil explicat. Hactenus frustra.

Esse aliquid positive naturae addendum alii igitur senserunt. Substantiae iam exsistenti (nolebant enim exsistentiae actum a reali essentia distinguere) modalem realitatem addiderunt, qua substantia ad hoc ut per se sit, et non possit ad aliud pertinere, determinatur; qua realitate ablata, alio reali modo constituetur Christi humana natura Verbo Dei coniuncta. — Sed male prorsus subiectum exsistentiae, actum iam habens suum, in potentia adhuc fingitur ad hoc quod sit per se, et in seipso sit

constitutum. Deinde non intelligitur realitas a substantia distincta, quae illi addatur, quin sit accidentalis: quod tamen iniuria de *esse,* quo substantia ipsa actu in re constituitur, quis intelligeret, quia principia entis ad genus entis quod constituunt reductive pertinent. Deinde non apparet qua ratione suppositum et subsistens ex modali realitate obtineri queat. Multoque minus apparet quo demum pacto modus, qui illi priori ablato substitui deberet, substantiam ad Deum personali iunctione referat, ac determinetur etiam ad unam e tribus personis.

Non his difficultatibus premitur terminatio naturae a Caietano excogitata; qui tamen falso subsistentiae nomen et rationem, iam aliter certam, ibi ponere conatur. Minime intelligimus formaliter aliquid subsistere eo quod suum terminum habet; minime admittimus substantiae, sua natura et principiis iam plene determinatae, quidquam addi debere, ut sit illud numero ens quod nata est esse, et per esse ex suis principiis resultans in actu ponatur. Neque admittimus essentiam singularem ullo indigere ut sit suae exsistentiae receptiva; immo universim potentiam inter et actum nihil mediare posse contendimus. Neque ullo addito opus est ut substantia sit alii natura sua incommunicabilis; communicabitur vero hoc ipso, neque aliter potest, quod ad esse alterius portentose trahetur. Negamus denique personae perfectionem aliunde surgere quam ex integra essentia intellectu dotata, et ex modo quem ipsa habet in se exsistendi, actu scilicet non alieno, sed suo. — Quae cum ita sint, terminationem a Caietano inductam, quam ille ita minimam facit ut fere sit nihil, quam tamen alii ut modum accipiunt, damnose positam dicimus ad subsistentiae notionem mutandam; Angelici Doctoris mentem et verba, praeter illius exspectationem, qui simpliciter dixit subsistentiam esse exsistentiam substantiae propriam, eo commento dicimus perverti.

Ad 1^{m} quo dicebatur ratio distinctionem suppositi a natura singulari nescire, quam fides asserit, responde formalem utriusque definitionem differre, rationi quoque esse manifestum. Aliud enim est substantia, quae formaliter accipitur secundum essentiam suam et cui competit esse in se; aliud suppositum, quo

ratio singularitatis et actus subsistentiae continentur. Hoc autem satis est ut formalis notio suppositi, ut a natura distincti, a recta philosophia tradatur, eademque notio in exponendis mysteriis retineri possit ac debeat.

Ad 2^m^ quo naturalis ratio dicebatur ignorare saltem possibilem suppositi a substantia separationem, respondemus id concedendo quidem, at negando formalem notionem suppositi per hoc mutari. Si enim suppositum definitur subsistens distinctum, philosophia certe ignorat dari posse substantiam realem non actu subsistentem, et hoc discit a fide; at posito quod tale portentum divina virtute fieri queat, necessario agnoscet numericam illam substantiam, suo actu ultimo destitutam, minime fore subsistentem, nec proinde suppositum. Eodem prorsus pacto, quia praeter exspectationem accidentia in Eucharistia sunt sine subiecto, minime sequitur accidentis definitionem, a natura acceptam, esse mutandam.

Ad 3^m^ quo afferebatur multorum auctoritas, qui notionem mysterio aptare voluerunt, reponimus, ex iis quae nuper dicta sunt, sine necessitate ulla et sine ulla utilitate, immo, quantum nos intelligimus, falso ac damnose, id factum fuisse. Secundum conceptum communem, quem recta philosophia expolivit atque exactius expressit, affirmatio mysterii divinitus proposita est: qui vero ad illud facilius reddendum, priores notiones temperandas autumat, non se ad superiorem veritatem evehit, sed veritatem ad se deprimere conatur.

Articulus IX.

Utrum Verbi Incarnati sit unum esse.

Videtur secundum duplicem Christi Domini naturam, duplex esse, sive exsistentiae actum, in eodem necessario affirmari. Etenim: 1. humanitas Christi, ut est aliquid a Verbo distinctum, habet propriam entitatem, quam non a Verbo formaliter recipit. Atqui entitatem non habet suam nisi per esse suum. Ergo esse

habet aliud ab esse Verbi; ideoque sunt in Christo duae exsistentiae, non secus ac duae naturae.

2. Praeterea, Christi humana natura creata est. Atqui per sui creationem accepit esse suum. Ergo et hoc habet.

3. At dicetur creata per hoc quod tracta fuit ad esse divinum participandum. Sed contra: creatio humanitatis assumptioni praesupponitur. Ergo non per hoc quod assumpta fuit, exsistentiam habuit, sed natura prius. Ergo habuit suum esse.

4. Praeterea, per generationem humanam novum esse acquisitum est Verbo Dei. Minime certe aeternum. Ergo temporaneum et humanum.

5. Praeterea, sicut plura supposita aeterna conveniunt in uno Esse Deitatis, sic binae exsistentiae in unum Christi suppositum convenire possunt. Immo nulla apparet ratio cur hoc magis repugnet quam duarum naturarum realis convenientia. Duplex igitur *esse* in illo est, non secus ac duplex essentia.

6. Praeterea numquam Patres et Concilia unitatem exsistentiae innuerunt, at solummodo subsistentiae seu personae Immo plures duplicem exsistentiam explicite affirmarunt. Illud ergo affirmando, satis facimus fidei; quid vero novum mysterium imponimus?

7. Praeterea, si humanitas ponitur esse in Verbo per esse ipsius Verbi, non proprium, evadet veri nominis accidens, cuius esse est inhaerere. Atqui repugnat ut substantia in accidens vertatur; repugnat ut Verbo divino inhaereat. Ergo proprio *esse* substantiali humanitas gaudet.

8. Sed dicetur, id quod exsistentiam habet suam, illud esse subsistens. Sed contra: si producitur ita ut ordinetur ad hoc ut in se subsistat, id verum est; si producitur ita ut ordinetur ad subsistendum in alio, falsum est. Hac igitur ordinatione ipsi productioni intrinseca, etsi sit propria uniuscuiusque rei exsistentia, unio hypostatica intelligitur.

9. Praeterea, non est fundanda doctrina fidei in opinione de qua catholici disputant, cuiusmodi est distinctio essentiam inter et esse. Immo plerisque absurda haec videtur, et iniuria

eam supponentes mysterium aliud non a Deo revelatum in Christo Dño adstruere contendimus.

10. Denique non est ponenda unio hypostatica, quae primo ac per se ad aliquid tribus Personis commune terminatur. Atqui *esse* commune est tribus Personis. Ergo non ad *esse* primo terminatur unio, neque ideo secundum *esse* facta est.

Sed contra, non est simpliciter unum quod in primo ordine entis substantialis plura complectitur. Atqui Deus-Homo unum est simpliciter. Ergo non plures actus substantialis exsistentiae complectitur.

Assertio. *Notae omnes et proprietates suppositi necessario evincunt in Christo Dño unitatem substantialis exsistentiae, quae alia non potest esse ab esse Verbi.*

Ipsum *esse* tripliciter accipi potest. Primo, ut tantum respondet copulae propositionis, praedicatum cum subiecto connectentis. Quia vero et praedicari potest ratio formalis, quam mens utcumque cogitat, et subiectum ipsum potest fingi solius intellectus cogitatione, illud *esse* non solum formaliter ut copula propositionis in actu animae consistit, sed forte et obiective in sola anima est. Secundo modo *esse* dicitur ipsa essentia, secundum quam unicuique competit suus modus essendi, qua ratione ipsa quidditas dicta fuit *quod quid est esse rei* τό τι ἦν εἶναι, ac dicimus: vivere viventibus est esse, atque esse hominis in animalitate et rationalitate ponimus. Tertio modo dicitur *esse* actus entis, quo quodcumque constituitur actu in rerum natura, vel extra mentem et extra causas. Hunc actum non includi in ratione entis finiti et contingentis concedunt omnes; esse ab eodem realiter distinctum certo tenemus, at non assumimus tamquam principium ratiocinationis nostrae, sive ut praemissam cui argumenta in hoc articulo innitantur. Utique possumus eius notionem et nomen adhibere, tamquam aliud quid ab ente quod per ipsum actu ponitur, quum ab eodem ratione formali prorsus differat, non secus ac rationale ab animali in ordine logico. De *esse* autem prima vel secunda significatione accepto, nihil nunc ad nos attinet: loquimur ergo de *esse,* qui est actus entis.

Contendimus *esse,* ut actum entis, in Christo Domino non nisi unum affirmari debere. Qua ratione s. Thomas scripsit: « Unio humanae naturae in Christo terminata est ad unum esse personae divinae; et ideo idem actus numero est personae divinae et humanae naturae assumptae » (I D. XVII q. I art. II).

Accipimus tamquam fundamentum veritatem fidei, quae asserit in Verbo Homine unum utriusque naturae suppositum, quod est certe unum subsistens distinctum, quod est unum substantialiter, quo habetur communicatio idiomatum, quo demum dicimus humanitatem esse in Verbo, atque ad Illud pertinere ut partem. E singulis his, quae pleno et non diminuto sensu vera sunt et necessario admittuntur, unitatem exsistentiae deducimus.

Prima quidem nota, eaque praecipua, quae supposití rationem constituit, illa voce exprimitur *subsistens.* Unum ergo suppositum est unum subsistens, et si quae substantia subsistit, suppositum est. Atqui Verbum Incarnatum unum suppositum est, atque humanitas suppositum non est. Ergo unus in illo est actus quo subsistit, eoque per se humanitas caret. Porro non aliud est subsistentia quam substantiae exsistentia, frustraque omnino aliam subsistentiae notionem quaeri, sive in ratione totius quae sine determinatione nihil dicit, sive in modo addito, qui substantiae accideret, sive in conceptu personae, quod nomen est, non nova entitas, iam late vidimus et compendio probabimus proxime absoluto articulo. Nequidquam vero argumentum eludere satagunt alii (P. Pesch, de Incarn. n. 119), dicentes, uni supposito plures exsistentias non separatas competere posse. Oportet enim dicere qua ratione non sint separatae, si sunt formaliter distinctae, et si non in eodem subiecto recipiuntur. Porro evidenter exsistentia humanae naturae formaliter a divina longissime abest, neque in eodem subiecto Deo recipi potest. Ergo nullum est effugium, sicuti supra (art. IV) ostendimus nullam esse unionem, quin actus assignetur in quo fiat unum, et nihil dici assignando actum personalem, quo nihil praeter aliunde nota principia entis importatur.

Secundo, suppositum est ab aliis *distinctum.* Quo distinctum? Profecto secundum *esse,* nisi adsit illa ratio quae unice

in Deo invenitur relativae oppositionis. Humanitas igitur *indistincta* esse debet a Verbo Dei ; nequaquam sane secundum naturae rationem, at certe secundum actum qua ens constituitur. Si vero proprium *esse* habet, omnino et in natura et in exsistentia distincta est ; suppositum est. Hoc scilicet in mente habebant auctores primae opinionis apud Magistrum. Ponebant indistinctam personam, at distinctum suppositum. Unam faciebant personam ratione cuiuscumque operationis, habitudinis, dignitatis ; duo ponebant quae essent. Huc revera veniunt, quidquid verbis et plena fidei professione renituntur, qui proprio actu humanitatem per se esse dicunt. Quod vero dicunt esse unitam supposito, nihil est, quia quaerimus qua reali actualitate in supposito unio fiat ; et suppositum per se nomen est logicum, et realiter importat exsistentiam in se, et consequentem distinctionem vel indistinctionem. Quapropter si humanitas Christi proprium esse habet, distincta certe est secundum esse ; aliud subsistens est ; aliud suppositum.

Tertio, Christi Domini unitas est substantialis, minime accidentalis : quod diversimode respectu Verbi et respectu Humanitatis intelligendum est. Ipsi Deo nihil certe potest inhaerere ut accidens, illique novum esse addere. At fingere possemus denominationem aliquam quae ad modum accidentis illi competeret, sicut relatio Creatoris vel inhabitantis templum vel utcumque creaturam habentis ut suam, quemadmodum homo indumentum habet. Ex parte humanitatis, accidere illi posset unio cum Deo, sicut per gratiam et per gloriam in Sanctis contingit. Non ita Incarnatio intelligi potest. Non enim quacumque ratione habet Verbum adiunctam sibi, ut obiectum amoris et mirae operationis et perpetui regiminis, humanam naturam ; sed ita illam adiunctam habet, ut per ipsam sit vere homo. Nullo autem modo apparet quo pacto dicatur homo, si secundum *esse* ab humanitate distinguitur : iam enim diximus frustra unionem asseri secundum suppositum. At veritas intellectui nostro magis est perspecta in consideratione humanitatis, quae substantialiter pertinet ad Verbum. Ergo secundum suum primum *esse* pertinet ad illud ; scilicet in primo actu quo est facit unum cum illo ; quod omni-

modo falsum est et absurdum, si secundum propriam exsistentiam distinguitur, seu per actum proprium iam est in se constituta. Quamobrem difficultatem acceptam ab eo quod quidquid additur praeexsistenti est accidentale, solvit Angelicus aiendo humanitatem trahi ad ipsum esse Verbi, sicut corpus ad esse animae. — Ad *esse personale* reponent. Quomodo non sentiunt per hoc nihil se dicere, et vitioso circulo idem per idem exponere? *Nihil enim persona est praeter principia entis, quibus ens integrum perficitur; ac de ipsis principiis hic agitatur quaestio.* Tamen, illa eadem loquutione, si quam habet vim, eo veniunt quo volumus. Esse enim personale est quo substantia primo est, non quod illi constitutae supervenit; esse idem subsistentia est, prout hanc exposuimus; praeterea nihil est.

Quarto, meditanda est communicatio idiomatum, qua vere Deus est Homo, Homo est Deus. Non ab amico amicus, non a servo dominus, non ab uxore vir, non quidquam ab alio secundum *esse* distincto, recta attributione denominatur, sed tantum ab iis cum quibus secundum esse communicat. Ita postrema quatuor praedicamenta denominationem extrinsecam tantum praebent, qua homo dicitur indutus, corpus spatio vel tempore mensuratum; ex qua tamen mensuratione aliquod esse in subiecto exsurgit. Per relationem similiter, si realis est, quod refertur aliquo modo est; scilicet actum aliquem relate ad aliud habet in se. Non minus habet per actionem et passionem, quae aliquid extrinsecum connotant, sed in subiecto cui tribuuntur motum et causam motus asserunt. Multo magis per qualitatem et quantitatem habet subiectum actum proprium quo est secundario, prout ferunt illa accidentia. Non enim Sortes esset sciens, nisi actum scientiae sequeretur actus, quo hac ratione ipse Sortes est. Non enim in forma accidentali per se spectata recipitur sic esse; at in hoc simul forma et subiectum conveniunt, scilicet subiectum sic formatum hanc secundam exsistentiam habet, post primam qua subsistit. Quod qui non intelligunt, formae per se exsistentis, utcumque subiecto appositae, unionem cum ipso nescio quam imaginantur. Atqui dicitur: *Petrus est sciens,* quia sic est profecto, et non

est praeter Petrum scientia, ullo glutine illi adhaerens : unum est *esse,* a substantiali *esse* distinctum, quo Petrus sciens exsistit. Quod si aliquid vere pertinet ad substantiam ipsam, non per aliud *esse* a primo, illud debet exsistere ; secus esset unum per accidens et non per se. Ita corpus trahitur ad *esse* animae : de homine loquimur, in quo uno anima proprium *esse* habet. Et pariter, si gibba Aesopus notatur, quia ille non est gibbosus sicut est indutus, sed est secundum substantiam ipsam male excrescentem, ad gibbam ipsam extenditur idem actus quo Aesopus exsistit ; non aliter ac iterum sese extendit *esse* substantiale s. Ioannis Domasceni ad manum prius abscissam, quae Ssmae Matris ope illi restituta fuit. Iam enim ab Aristotele et a s. Thoma didicimus partes substantiae non proprio esse in actu poni ; secus subsistens esset cumulus entium indefinitus, et unitas quae prima dicitur, esset unitas ordinis, omnino posterior et infima. Unumquodque igitur est accidentaliter secundum formam, qua acquiritur secundarium aliquod *esse,* in eodem subiecto cum subsistentia receptum (II C. G., LII) ; est substantialiter secundum id totum, ad quod extendit primum actum, quo est simpliciter. Si autem hoc non in re veritatem habet, propositio affirmans aliquid esse, vel falsa erit, vel sistet in ordine entis rationis. — Atqui verissime Verbum *est* homo. Omnino igitur requiritur ut esse suum ad humanitatem extendat. Non est certe esse secundum et accidentale. Ergo primum et unicum, quo Verbum absolute est in se. Quaecumque alia unio fingatur, ab humanitate poterit Verbum denominari ut a termino extrinseco, ut ab opere praecellenti, ut a templo, ut ab indumento quodam, sicut ab humana apparentia Raphaël angelus ; nequaquam substantive homo dici poterit.

Ex quo apparet frustra conari alios, qui unionem hypostaticam ipsa communicatione idiomatum explicare vellent. Haec utique est personalis unitatis signum certissimum : sed *signum* est, quia prorsus exigit ipsius *esse* unitatem. Sine hac nihil esset, immo esset falsa. Nam per se et formaliter, utpote praedicabilitatem asserens, ad logicas intentiones pertinet ; sed in re fundamentum habet, quatenus illud *est* quod est copula propo-

sitionis, primum *est* supponit quod est actus entis. De hoc disputamus, et hunc a praedicatione qua Deus homo dicitur, manifeste deducimus.

Quinto habemus idem ex communibus loquutionibus, suppositi unitatem consequentibus, et apud Patres ac Theologos vulgo adhibitis: humanitatem in Verbo esse, se habere ut partem, subsistentiae Verbi esse participem. Quid enim sibi vult esse in Verbo, et certe substantialiter, nisi ad illius actum trahi, eodemque in re constitui? *Esse in* loquutio est vaga et incerta: est aqua in vase, est sol in coelo, est effectus in causa, est forma in materia, est accidens in subiecto, est pars in toto, est universum in virtute Dei: quo pacto est humanitas in Verbo? Certe ad modum partis in toto, ἐνυπόστατον, ut etiam dixit Damascenus. Sed hoc, et quae simili ratione dicuntur, nihil afferunt, si non reipsa participatio eiusdem *esse,* non ut est forma quidditatis, sed ut est actus entis, admittitur. — Nec volumus iterum dicere nequidquam secerni ipsum *esse* personale ab *esse* substantiali: per substantiam enim et ipsius actualitatem persona constituitur, et fuse ostendimus quam frustra sub nomine subsistentiae nova ulla entitas quaeratur.

Quae omnia huc vergunt, ut appareat notas singulas et proprietates suppositi, quaeque unanimi ore a cunctis de substantiali unitate Christi dicuntur, necessario inferre unitatem actualitatis illius qua Deus Homo est. Quod si humanitati proprius actus exsistentis tribuitur, nulla deinde suppetit ratio, qua veri nominis unitatem, eamque substantialem statuamus. — Frustra obiicit Ch. Pesch posse suppositum duo esse habere: nisi enim illud, quod suppositum in se manere dicitur, suum esse ad aliam naturam extendat, et haec per se erit et nullo carebit quo in se suppositum maneat. Frustra dicit non magis uni supposito repugnare duas exsistentias quam duas essentias: etenim essentia est qua suppositum in aliqua natura constituitur; *esse* actus est, quo est ens vel unum vel multiplex; nec separatio secundum *esse* quidquam dicit praeter aliud et aliud esse, non in eodem subiecto receptum. Nunquam duo unientur, nisi relatione accidentali, quamdiu duo in suo *esse* permanent. Frustra dicit

unionem esse in actu personali, qui per principia entis necessario explicari debet. Num suppositum (est nomen logicum!) aliquid est praeter substantiam et esse et accidentia?

Sexto igitur, ex hoc postremo validum ducimus argumentum. Ut sit humana natura divinae coniuncta, oportet communem utrique actum assignare; nisi enim sit communis actus, in nullo est unio vel unitas, et nihil veri habemus. Atqui minime potest actus ullus humanitatis Deum entitative attingere. Oportet ergo ut actus divinus ad humanitatem extendatur. At non profecto actus essentiae ullus; manent enim naturae integrae et impermixtae. Ergo actus formalis subsistentiae, quam nihil esse praeter substantialem ostendimus.

Septimo, ex parte humanitatis ipsius, oportet procul dubio ut aliquid in eadem mutatum sit a naturali conditione, quo vere et entitative ad divinum suppositum spectet, potius quam in se subsistat. Oportet, inquam, ut aliquid ex iis quae pertinent ad ordinem substantialem aliter se habeat, quam naturaliter se haberet: secus quid in rerum ordine factum est? nihil. Atqui certo scimus nihil esse mutatum in humana natura, ut natura est, sive essentia substantiali, sive proprietatibus, absoluta et perfecta. Ergo mutatio est secundum *esse,* qui est ultimus actus rerum, supremumque perfectionis fastigium. Porro *esse* non potest idem manere et in se mutari; quia puram dicit actualitatem, quae non in potentia est ad quidquam; potentia vero se tenet ex parte subiecti, quod aliter disponi potest. Mutatum est igitur *esse* humanitatis Christi, prouti ab initio fuit aliud quam quod fuisset, si eadem substantia (eadem designatione principiorum individualium, non actu entis), sibi relicta, in se subsistitisset et per se fuisset homo. Non idem *esse* habet quod habuisset; sed actu sustentatur per ipsum *esse* Verbi. Quo plene intelligitur et vere Verbum hominem dici, et cum humanitate esse unum subsistens, et non ab illa supposito esse distinctum, et illam habere ut partem, et secundum illam subsistere ut hominem. Vicissim patet non per se neque in se subsistere humanitatem, nec per esse a Verbo distingui, neque posse

hominem dici, et ad modum partis esse constitutam, et subsistentiae et personae divinae esse participem.

Ad 1^m^ vero, quo dicebatur humanitas suam entitatem habere, quam non a Verbo formaliter recipit, respondendum est idem prorsus quod diceremus arguenti contra unum esse in homine, immo in quolibet corpore: non enim ipsa realitas materiae formaliter ab anima videtur constitui. Atqui processus iste ambiguus est, et ex parte falsus. Qui enim dixerit potentialem entitatem non ipsa realitate formae sive actus constitui, vere loquetur; qui ideo negaverit potentiam ipsam ad primum actum substantialem, in suae essentiae actu constitui per formam, decipietur. Hoc enim discrimen formam inter substantialem atque accidentalem intelligere debemus, quod haec posterior, ut actus secundus, subiectum supponit suum, eique praeexsistenti aliquid addit; prior vero, ut actus primus, non subiectum supponit, sed facit primo esse, quatenus cum eodem id constituit cui simpliciter competit esse. Qui proinde putaret materiam primam iam suo modo actu exsistere, illam poneret actu ens et hoc aliquid; frustraque prorsus incompletam diceret, atque ideo in potentia. Etenim incompleta est etiam substantia in ordine ad perfectionem sibi superaddendam, et ad hanc in potentia est. Materia vero, si potentia est ad actum primum, omni actu destitui debet; et si quemdam habet, si quomodocumque actu est, iam est *hoc aliquid,* et forma corporea adveniet enti in actu, et accidentalis erit. Iniuria et falso, contra rei veritatem verba alia proferrentur. Ergo realitas materiae distincta est a forma; sed realitas eadem non est in actu nisi per ipsam formam. — Hoc in ordine substantiae et essentiae de materia et forma intelligendum est; hoc in ordine exsistentis, de essentia et actu quo est. Realitas essentiae, quae in ordine ad *esse* potentia est, ab exsistentia distinguitur; sed per ipsam, tamquam per actum formalem in actu exsistendi seu subsistendi, non autem in ratione formali talis essentiae, constituitur. Eodem prorsus pacto materia prima, non secundum hanc potentialem entitatem, sed in actu primo naturae corporeae, ac proinde in ipsa ratione entis, constituitur per formam substantialem a se distinctam.

Insurgunt : ergo per se est non ens. — Distinguo : quatenus *non ens* negat ens actu, et etiam negat ens ut subiectum capax habendi proprium esse, materia prima est *non ens,* quemadmodum superficies colorata, si spectatur in se ut a colore distincta, est utique non colorata, concedo, et explicite id concedit Angelicus (cf. praesertim *de natura angelorum,* c. VIII); quatenus *non ens* negat etiam potentiam realem ad esse, et principium entis, nego.

Atqui, instant, principium reale entis est ens ; nam nihil communius et simplicius ipso ente. — Respondeo : est ens, quatenus per analogiam ad ens vere et proprie dictum debet intelligi, conc. ; quatenus iam sit per se verum ac proprium ens cuius actus est *esse,* nego. Secus actum est de quacumque entis compositione, praesertim de substantiali : ad primum ens enim componendum, cuiusmodi est substantia, principia tantum entis, quae erunt per analogiam ad totum, convenire debent, non veri nominis entia, quibus quodcumque adveniret, esset secundum et accidentale. — Nec dicant *ordinem per se* sufficere ad unitatem substantialem ; nam et corpus omnino per se ordinatur ad quantitatem, et spiritus ad intellectum. — Sed nihil est communius ente. Pro omnibus quae vere sunt, conc. ; pro principiis, subdist. : prout analogice, sive cum proportione ad ens, hoc nomine donari debent etiam entis principia, conc. ; prout et haec iam sint entia, quorum actus proprius est esse suum, nego. — Nihil simplicius ente? In ordine logico, conc. ; in ordine reali, subdist. : Ente infinito, conc. ; ente finito, prorsus et vehementer negandum est. — Quae sunt a s. Thomae doctrina prorsus non deducta, sed immediate accepta.

Eadem analogice est ratio de humanitate Dñi Nostri, cuius realitas, quae potentia est ad esse, non constituitur sane Verbo Dei, nisi spectetur virtus Creatoris omnia sustentans. Tamen non ipsa humanitas habet in sua potentiali entitate formalem actum exsistentiae. Hunc haberet proprium et in se receptum et a se limitatum, si subsisteret ut homo ; habet, contra ad se extensum esse divinum, prout est relatione Filii ad secundam Personam determinatum. Per hoc constituitur in actu,

quatenus sic et non aliter in rerum natura posita est; per hoc habet formalem actualitatem exsistendi. Cuius rei remotum exemplum est humanum corpus, per participationem actus quo anima est in ratione actualis entis constitutum.

Ad 2[m] quo humana Christi natura dicebatur creata, atque ideo suum *esse* habens, respondeo per creationem hîc factum esse ut e nihilo traheretur humana illa substantia (e nihilo, inquam, secundum animam; e B. V. secundum corpus) ad participandum *esse* Verbi. Et certe nulla est vis huius obiectionis, quae eadem esset contra modum quo corpus humanum est per animam, et contra id quod manifeste fieri posset in resurrectione, si Deus non restitueret corpora humana e materia praeiacenti, sed eodem instanti quo illa iungeret animis, e nihilo produceret.

Ad 3[m] quo dicebatur creatio humanitatis assumptionem ratione saltem praecedere, respondeo idem valere pro corpore animae iungendo, et in utroque casu productionem prius mente concipi, quia esse, ut quid communius, cogitatur prius et facilius; quod vero spectat ad realem ordinem, eum inverti secundum oppositas causalitates, ideoque in ratione causae materialis prius esse quod actuari debet quam actum ipsius, at in ratione causae formalis prius esse actum et actuationem quam formalem effectum. Igitur et corpus constitutum esset consequenter ad unionem cum anima, et humanitas Christi actu exstitit consequenter ad assumptionem, qua ad hoc ut esset in Verbo Dei pertracta fuit. Quamobrem, sub aliquo respectu, nempe spectata simpliciter ut natura humana et ut pars materialis, prius ratione fuit quam esset unita; sed numquam, neque in instanti rationis fuit homo, quia esse in actu, ut quid positum extra causas, sequutum est pro illa assumptionem ad Verbum.

Ad 4[m], quo dicebatur humana generatione aliquod novum esse acquisitum Filio Dei, respondeo hoc posse dici prouti *esse* accipitur pro quidditate, ut in loquutione *quod quid est esse rei*. Realiter vero factum est ut esse Verbi ad humanam naturam extenderetur, et secundum hanc Verbum esset homo, nova actualitate naturae, non nova actualitate subsistentiae sive exsistentiae. « Quamvis enim, ait Aquinas, in Christo sit unum esse, tamen

secundum illud habet respectum ad duas naturas; et ita nativitas est duplex, secundum duplicem respectum qui acquiritur personae ad duas naturas acceptas per generationes » (III D. VIII, q. I, art. IV, ad 2).

Ad 5^{m}, quo dicebantur plures exsistentiae in unum suppositum convenire posse, respondemus utique plures actus uni attribui, ubi substantia in potentia est ad actus secundos; absurde autem poni plures actus, quibus substantialiter aliquid sit unum. Sunt enim plura entia simpliciter, si multiplicantur actus, quibus simpliciter sunt; sunt plura, quodammodo et per accidens, album et musicum, si haec in unum Sortem conveniunt. Porro Christus Deus Homo unum est simpliciter. Ergo per unum esse. Nihil est quod opponitur ex Trinitate, ubi supposita sunt tria, licet esse sit unum; quia aliunde sumitur ibi distinctio, non absoluta sed relativa. Nihil est quod dicitur de duabus naturis quae uni non repugnant: hoc fit prout secunda ad esse primi trahitur; neque humanitas aliter est quam ut qua Verbum est homo. In ipso *esse* fundatur unitas subsistentis seu suppositi habentis naturam: verba sunt s. Thomae.

Ad 6^{m}, quo dicebatur satis nos facere fidei unam subsistentiam affirmando, nec Patres dixisse aliud, nec novum mysterium esse imponendum, respondemus nil novi nos adstruere, sed contendere non aliud esse quod creditur, obiective et realiter, quam quod nos dicimus, et nihil esse subsistentiam praeter substantialem exsistentiam, et hoc ipsum in Patrum loquutionibus implicite affirmari, quum negatur humana Christi natura esse in se ac subsistere, et contra dicitur esse in Verbo et se habere ut pars. Nec quidquam facit quod et duplex exsistentia aliquando affirmatur: non enim aliud significabatur quam realitas utriusque naturae, de qua, seorsim singulas accipiendo, necesse est dicere quod vere exsistit.

Ad 7^{m}, quo aliquis timebat humanitatem in accidens mutari, si per proprium esse non exsistit, respondemus in substantiam et accidens distribui essentias; non per se, ipsum esse; et, quomodocumque sit, naturam substantialem numquam accidens evasuram, sicut sphaera numquam erit cubica: semper enim sub-

stantiae competit esse in se, sicut accidenti competit alii inhaerere. Verum posset substantia accidentaliter alii coniungi, si nempe non ad primum *esse*, quo aliud subsistit, reipsa trahatur; substantialiter iungetur, si esse primum alterius participet; quod unice in doctrina quam propugnamus veritatem habet.

Ad 8^{m}, quo dicebatur non subsistere id quod ita producitur ut ordinetur tamquam pars ad aliud, respondemus frustra haec verba proferri, ubi ordinatio non e reali modo habendi *esse* distinguitur. Porro in alio exsistit et est pars alterius substantialiter, illud quod alterius exsistentiam primam participat. Si hoc non ponitur, omnia evanescunt.

Ad 9^{m}, quo adversarii contendunt non esse doctrinam fidei in opinione fundandam, respondemus nequaquam nos fidem exigere; sed, quantum ratio valet, contendere in doctrina fidei nostram sententiam implicitam esse. Nihil enim intelligimus de unitate suppositi, sine unitate substantialis exsistentiae. Quod quidem in toto hoc articulo probavimus, non distinctionem ipsius esse ab essentia supponentes, sed neque eam distinctionem negantes. Iamvero post proposita argumenta illam e veritate Incarnationis legitime deducimus. Adversarii potius ita procedunt ut illius absurditatem se demonstrasse supponere videantur.

Etenim ab illa distinctione abhorrentes, omni conatu nituntur duarum substantiarum, quae iam esse habent suum, unionem in esse substantiali adhuc intelligere. Huc vero se pervenire autumant, in notione suppositi novam aliquam entitatem et quid mysteriosum fingendo. Sed et in hoc illos frustra conari satis ostendimus.

Ad 10^{m}, quo monebamur ne unionem hypostaticam poneremus primo terminatam ad aliquid tribus Personis commune, cuiusmodi est esse, respondemus non de modo formalis terminationis ad Verbum nos hactenus disputasse; at, quidquid sit de hac subtiliori inquisitione, duplex mysterium Trinitatis et unius tantum Personae incarnatae involvente, positive ac directe necessitatem unitatis secundum esse in tuto posuisse. Fateamur in participatione divini *esse* non apparere unionem cum hac potius quam cum illa Persona. At si nobis hoc mysterium est,

hoc adversarii absurdum faciunt, dum in humanitate quaerunt quo uni e tribus iungatur, et modum ponunt qui illam attingat. Procul dubio divinum *esse* illi naturae communicatur; quum vero certum sit distinctam esse ab aliis Personam quae idem *esse* cum aliis suo modo habet, minime absurdum est idem *esse* sic assumptae substantiae communicari, ut ad *esse* eo modo habitum eadem substantia terminatur. At de hoc iterum.

Articulus X.

Utrum unitatem ipsius *esse* in Christo s. Thomas affirmaverit.

Videtur unitatem exsistentiae quam affirmavimus, Angelicus Doctor numquam in mente habuisse. Etenim dicit explicite in quaestione *de Verbo Incarnato,* post assertum aeternum *esse:* « Est aliud esse huius suppositi, non in quantum est aeternum, sed in quantum est temporaliter homo factum; quod *esse,* etsi non sit accidentale, quia homo non praedicatur accidentaliter de Filio Dei, non tamen est esse principale sui suppositi, sed secundarium » (art. IV). Et ib. ad 1^{m}: « Esse humanae naturae non est esse divinae; nec tamen simpliciter dicendum est quod Christus sit duo secundum esse, quia non ex aequo respicit utrumque esse suppositum aeternum ».

2. Etsi in *Summa,* p. III, q. XVII, art. II, videtur oppositum dicere, tamen exponit prioribus quaestionibus totam doctrinam de veritate Incarnationis, quin unitatem ipsius *esse* affirmet; quod eodem pacto facit in IV C. G. Unde sequitur unitatem illam affirmari quandoque ab Angelico Doctore, ut servetur recta loquendi ratio circa unitatem subsistentiae seu personae, non autem ita ut realitas exsistentiae sit una. Alio modo, est unitas ipsius *esse* personalis, nequaquam illius quod est actus entis.

3. Praeterea, quum *esse,* teste ipso Aquinate, et supposito et naturae tribuatur, quando ille dicit unicum in Christo asseri debere, de *esse* prout suppositum unum est, manifesto loquitur, non de *esse* quo realitas naturae in actu ponitur.

4. Praeterea ex ipsis thomistis quamplures, Ferrariensi et Caietano ducibus, subsistentiam ab exsistentia distinguunt. Illam ergo, non hanc, unicam in Christo Angelicus affirmat.

5. Praeterea non semel dicit s. Doctor nullo carere humanitatem Christi, quo decidat a ratione humanae personae; sed evectam per additionem superioris. Ergo proprio actu quo in se exsistat non caret.

6. Praeterea dicit eamdem humanitatem, si separaretur, eo ipso hominem fore, quin acquireret quidquam novi, sicut arcae partes seiunctae. Numquid hae partes acquirerent novum esse?

7. Ad summum denique, eam doctrinam tamquam probabilem proposuit, ut patet in Comp. theol. c. CCXII, ubi ait: *Videtur* dicendum quod in Christo sit tantum unum *esse* Ergo et modum loquendi potius respexit, et probabiliter, non amplius, eam doctrinam tenuit.

Sed contra est quod universi, quotquot Aquinatem Magistrum sequi se profitentur, eam unitatem asserunt. Ipse Caietanus, qui subsistentiam in quadam terminatione posuit, hanc posuit ut dispositionem ad *esse* recipiendum, in quo unitas supposití consistit. Praeterea Godefridus de Fontibus suppar s. Thomae (obiit anno 1290), scholia scripsit in opus Aquinatis *Contra Gentes;* at in hac quaestione illi se contrarium profitetur, et rem paucis declarat: quo patet iam ab initio Angelici doctrinam fuisse perspectam. Ergo et ab adversariis testimonium habemus (Cf. Terrien, *de Un. hyp.,* l. III, c. IV).

Assertio. *Dubio procul s. Thomas unicum, illudque divinum,* **esse** *posuit in Christo; quam tamen sententiam, ut conclusionem ratione deductam, non ut dogma fidei tradidit.*

Hoc primo patet ex eo quod perpetuo S. Thomas subsistentiam definit ut proprium actum quo substantia exsistit. Frustra alius notionis indicium apud Aquinatem quis quaereret. Ergo affirmatio divinae subsistentiae, non alius, in Christo, idem illi est quod affirmatio unius actus quo substantia est.

Deinde, *esse* accipiendo pro actu entis, scilicet quo aliquid constituitur actu in rerum natura, illud exhibet tamquam id in

quo unitas supposití, sive subsistentis, fundatur. *Esse pertinet ad ipsam constitutionem personae* (q. XIX, art. 1, ad 4^m). *Esse est id in quo fundatur unitas supposiți* (Quodl. IX, art. IV, ad 2^m). Evidenter enim est unum ens ubi unum est *esse*, quo primo, non videlicet accidentaliter, ens et hoc aliquid constituitur. Evidenter est unum subsistens, ubi est actus subsistendi unus. Porro qui *subsistere* alio quocumque pacto sibi finxerint, poterunt illud facere unum, ponendo exsistentias plures; s. Th. qui numquam illud accepit, nisi ut actum quo substantia exsistit, certe non potuit.

Etiam indubium est in hac ipsa disputatione de Christo Dño non aliud *esse* agnosci a s. Doctore praeter illud quo vel substantia actu constituitur vel accidens, neque unquam aliud quid innui, quod sit actus supposití seu personae. Immo hoc ipsum *esse* supposití illud dicit quod substantiae est, et quo substantia actu ens constituitur. Quamobrem eos dicit adhaerere primae e tribus opinionibus apud Magistrum recitatas, qui humanitati Christi suum *esse* tribuunt. Ergo patet omnino hoc illam destitutam, ut ad *esse* Verbi participandum elevari potuerit.

Praeterea notum ac certum est unicum in doctrina s. Thomae esse actum, quo consistit anima spiritualis et ad quem corpus trahitur, ne scilicet sit duplex *esse* hominis, ideoque sit accidentale. Et petenti quomodo sit substantialis unio corporis cum anima, quum haec iam per se sit, ac proinde non nisi secundario aliquo actu corpus illi adhaerere posse videatur, respondet perpetuo non hoc dici legitime, quia corpus ad idem *esse* trahitur quo subsistit anima. Et certe de subsistentia loquitur, qua exsistit substantia, non de ipsius substantiae constitutione, quae ratione praesupponitur, et de qua agitur cum anima forma corporis asseritur et vitae principium. — Atqui non secus ac docet corpus ad *esse* animae trahi, docet etiam humanitatem trahi ad *esse* Verbi. Solvit enim difficultatem de *esse*, quod, si est secundum, est certe accidentale, et hoc unum praeter substantiale agnoscit, idemque excludere vult ab unione hypostatica, et comparationem adducit corporis humani, etsi discrimen advertat unitatis essentialis, quae est in homine, non

est in Christo. — Et ridiculum esset notionem intromittere distinctae actualitatis personalis, cuius nunquam meminit Aquinas, nisi ut ad substantiae et accidentis, essentiae et ipsius *esse*, notiones illam reducat. Ergo de actu primae exsistentiae agit, cum asserit ad esse ipsius Verbi assumptam humanitatem.

Etiam patet Angelicum Doctorem de *esse* agere quo ens actu ponitur, quando unitatem illius ad unitatem suppositi necessariam opponit duplicitati operationis, quia in *esse* fundatur unitas suppositi, *Unitas enim rei,* ait ex. gr., *consequitur esse suum; unde eodem modo praedicatur de re ens et unum, quod convertitur cum ente; non autem in actione sua habet res unitatem; et ideo non potest esse quod sit suppositum unum et esse eius non sit unum; potest autem esse quod suppositum sit unum et actio eius non sit una* (in III, S. D. XVIII, q. I, art. I, ad 3^{m}; et similiter in Summa). Scilicet *unio humana naturae in Christo terminata est ad unum esse personae divinae; et ideo idem actus numero est personae et humanae naturae assumptae* (in I, D. XVII, q. I, art. I). Alia plura in eamdem sententiam adducere liceret; sed praestat iam venire ad perpendendum articulum ter scriptum, in quo data opera quaerit Angelicus utrum *esse* unum in Christo affirmare necesse sit.

Est inquam ter scriptus idem articulus, quia prorsus eiusdem sententiae, in Commentario Sententiarum, ante tricesimum annum aetatis, Quodlibeto nono, media aetate, in tertia parte Summae, quam mense fere quarto ante mortem in lucem edidit. Perstitit igitur manifeste in eadem doctrina.

a) — Titulus in primis *Utrum in Christo sit tantum unum esse* evidenter referri debet ad *esse* quod est actus entis; esset enim ridicula tautologia asserere unum *esse* personale unius personae ac seriam de hoc quaestionem instituere.

Porro obiectiones videamus quas sibi proponit: ex his quoque verborum significatio apparebit. Videtur, ait, quod in Christo non sit tantum unum *esse*. Omnis enim forma substantialis dat *esse*. Sed anima est forma substantialis. Ergo dat *esse*. Sed non dat *esse* divinae personae, quia hoc est aeternum. Ergo dat aliud *esse*. Haec ille primo loco (in III, D. VI, q., II, art. II). Eripiat

quivis oculos mihi, si non hoc ab adversariis nostris affertur ut argumentum pro exsistentia propria humanitatis Christi. Et responsio quam illi exspectarent, haec sane esset, quod forma dat per se actum essentiae humanae, quae in Christo unita est superiori, ideoque non per se est persona. S. Thomas respondet, quod si compositum non est subsistens, non ipsi acquiritur *esse*, at bene illi subsistenti cui compositum hoc adiungitur; sicut si manus fieret separata, postea homini prius illa carenti adderetur, iam non manui proprium esse acquireretur, sed *esse* hominis acquireret respectum quemdam ad illam, sive ad illam extenderetur. *Ita etiam dico quod anima in Christo non acquirit proprium esse humanae naturae; sed Filio Dei acquirit respectum secundum suum esse ad naturam humanam* (ib. ad 1m).

Secunda obiectio est quod *esse* commune est tribus Personis; si igitur Filius unitus est secundum *esse*, erunt et aliae duae. Tertia est quod *Esse* divinum non aliud est ab Essentia: ergo unio secundum *esse* esset unio secundum essentiam. — Iterum patet vere agi de *esse* quod est actus entis; responsio datur per formalem distinctionem inter rationes naturae et personae.

Quarta obiectio est quod definitio dicit quod quid est esse rei; porro idem est esse humanum Christi cum esse hominis cuiuscumque. — Respondet hic *esse* assumi pro actu essentiae, de quo non est praesens quaestio.

Quinta est quod etiam de humanitate quaeri potest *an sit*, et respondendum affirmative: ergo habet propriam exsistentiam. — Respondet hoc esse respondere copulae propositionis, quod est esse in actu mentis, quemadmodum, ait, etiam de caecitate possum dicere quod est. (Hoc postremum explicite Quodl. IX, art. III.).

Sub titulo *Sed contra* rationes affert tres, quas ut veras accipit, nam saepe eas alibi adhibet ad idem affirmandum quod in hoc articulo; nimirum, duo fore in Christo subsistentia, si est duplex esse; non posse praedicari unum de altero, quorum est aliud esse; unius, non posse dari nisi unum esse. Quae omnia

iterum nihil dicerent, si non de esse, quod est actus entis, ageretur.

Ac bene hoc esse subiectum dubitationis ostendit in corp. art. « Dicendum, ait, quod *esse* duobus modis dicitur. Uno modo secundum quod verificat veritatem propositionis, secundum quod est copula;... et hoc *esse* non est in re, sed in mente, quae coniungit praedicatum cum subiecto.... Unde de hoc non est hic quaestio. Alio modo dicitur *esse,* quod pertinet ad naturam rei, secundum quod dividitur secundum decem genera; et hoc quidem *esse* est in re, et est actus entis resultans ex principiis rei, sicut lucere est actus lucentis. Aliquando tamen sumitur *esse* pro essentia secundum quam res est, quia per actus consueverunt significari eorum principia, ut potentiae vel habitus. Loquendo igitur de *esse,* secundum quod est actus entis, sic dico quod secundum secundam opinionem (duae reliquae, ut scimus, haereses sunt) oportet ponere tantum unum *esse*.... Ens enim subsistens est quod habet *esse* tamquam eius quod est, quamvis sit naturae vel formae tamquam eius quo est. Unde nec natura rei, nec partes eius, proprie dicuntur esse, si *esse* praedicto modo accipiatur: similiter autem nec accidentia; sed suppositum completum, quod est secundum omnia illa.... Prima ergo opinio, quae ponit duo subsistentia, ponit duo *esse* substantialia; similiter tertia opinio, quia ponit quod partes humanae naturae adveniunt divinae personae accidentaliter, ponit duo *esse,* unum substantiale et aliud accidentale. Secunda vero opinio, quia ponit unum subsistens, et ponit humanitatem non accidentaliter advenire divinae personae, oportet quod ponat unum *esse.* Impossibile est enim quod unum aliquid habeat duo *esse* substantialia, quia unum fundatur super ens: unde, si sint plura *esse,* secundum quae aliquid dicitur ens simpliciter, impossibile est quod dicatur unum. Sed non est inconveniens quod *esse* unius subsistentis sit per respectum ad plura, sicut *esse* Petri est unum, habens tamen respectum ad diversa principia constituentia ipsum, et similiter suo modo unum *esse* Christi habet duos respectus, unum ad naturam humanam et alterum ad divinam ».

At ubi est *esse* personale? In mente aliter opinantium fortasse invenitur; in mente s. Thomae, qui de persona disputat secundum *esse,* quod est actus entis, ac disputat omnino secundum entis principia aliunde cognita, profecto non invenitur. *Esse* nimirum non aliud est praeter substantiale et accidentale. Suppositum, quod est substantialiter constitutum, attenditur tantum secundum *esse* substantiale: repugnat ut suppositum vere sit unum, hoc autem *esse* sit multiplex.

b) — Hoc formaliter et explicite evolvit in art. III Quodlibeti noni. Postquam iterum distinxit copulam propositionis ab *esse, quod est actus entis in quantum est ens, idest quo denominatur aliquid ens actu in rerum natura*, prosequitur: « Sed hoc *esse* attribuitur alicui dupliciter. Uno modo sicut ei quod proprie et vere habet *esse* vel est, et sic attribuitur soli substantiae per se subsistenti: unde quod vere est dicitur substantia in I Phys. Omnia vero quae non per se subsistunt, sed in alio et cum alio, sive sint accidentia, sive formae substantiales aut quaelibet partes, non habent *esse* ita ut ipsa vere sint, sed attribuitur eis *esse* Alio modo, idest ut quo aliquid est, sicut albedo dicitur *esse*, non quia ipsa in se subsistat, sed quia ea aliquid habet esse album ». Hic autem praestat in mentem revocare non haec dici tantum secundum quamdam proprietatem loquendi, atque attributionem quae dignius fiat principali subiecto; sed vere omnino et realiter, quatenus nec partes essentiales, ut materia et forma, neque integrantes ut organa viventis, habent proprium actum distinctum, nec sunt entia nisi per ordinem ad totum; et materia prima nullam in se actualitatem habet, neque est per se intelligibilis; formae denique non subsistentes, omnes scilicet praeter humanam animam, neque per se sunt, neque per se fiunt, nec recte dicuntur fieri in materia; hoc enim earum creationi non opponeretur. Quae omnia, etsi quis non intelligit, negare tamen nequit ad mentem dici ipsisque verbis Angelici Doctoris, cuius sententiam nunc in tuto ponere volumus.

Post illa, s. Thomas haec habet: « *Esse* ergo proprie et vere non attribuitur nisi rei subsistenti: huic autem attribuitur esse duplex. Unum scilicet esse resultans ex his, ex quibus eius unitas

integratur, quod proprium est *esse* suppositi substantiale. Aliud *esse* est supposito attributum praeter ea quae integrant ipsum, quod est *esse* superadditum, scilicet accidentale, ut esse album attribuitur Socrati, cum dicitur: *Socrates est albus* ». Videlicet etiam esse accidentale attribuitur supposito, quia ipsum *esse* quod consequitur formam accidentalem est in composito ex substantia et ex ea forma, aliud vero est ab *esse* substantiali, quod in eadem substantia recipitur. Si autem non in substantia eadem esse albi reciperetur, minime diceremus: Socrates est albus. Est tamen *esse* secundum; dum *esse* cuiuslibet partis substantialis est primum, quod per se de supposito, participative de partibus praedicatur; vera autem praedicatio sequitur ordinem entis et realitatis. « Quia ergo in Christo ponimus unam rem subsistentem tantum, ad cuius integritatem concurrit etiam humanitas, quia unum suppositum est utriusque naturae; ideo oportet dicere quod *esse substantiale,* quod proprie attribuitur supposito (ne scilicet quis cogitet *esse* naturae substantialis, quae duplex est), in Christo est unum tantum: habet autem unitatem ex ipso supposito, et non ex naturis. Si tamen ponatur humanitas a Divinitate separari, tunc humanitas suum *esse* habebit aliud ab *esse* divino. Non enim impediebat quin proprium *esse* haberet nisi hoc quod non erat per se subsistens. Sicut si arca esset quoddam individuum naturale, ipsa tota non haberet nisi unum *esse;* quaelibet tamen partium eius ab arca separata proprium *esse* habebit. Et sic patet quod.... in Christo est unum *esse substantiale,* secundum quod *esse* est suppositi proprie, quamvis sit in eo multiplex *esse* accidentale ». Hactenus Angelicus, qui, ad mentem adversariorum, non accidentale *esse* substantiali, at *esse* substantiae τῷ *esse* suppositi vel personae opponere debuisset.

Deinde solvit difficultatem, quae Scoto argumentum est, de generatione quae terminatur ad *esse,* et dicit per generationem temporalem in Christo factum fuisse ut Suppositum aeternum secundum humanitatem esse incoeperit, sive aliis verbis, ut divinum Suppositum inceperit *esse Suppositum habens illud esse suppositi humanae naturae.* In his verbis aliquantulum imple-

xis, ita ut amanuensis errorem suspicari liceat, voluit aliquis destructionem totius articuli invenire, quatenus *esse* aliud a divino suppositi humani assereretur. Sed hoc ipso quod non uno ambiguo verbo totam demonstrationem evertere licet, dicendum est *illud esse humani suppositi* non aliud intelligi debere praeter *esse* divini Suppositi, quod, ad humanitatem se extendendo, humanum quoque suppositum incepit esse. Quo pacto in Summa Aquinas scribit (III p., q. XVII, art. I): « *Et ideo non sequitur quod Christus sit aliud et aliud, vel quod sit duo, quia suppositum humanae naturae in Christo, quod est persona Filii Dei, non ponit in numerum cum natura divina* ». Si autem verba illa postrema e Quodlibeto aliter et nimis crude acciperentur, humanitas ipsa suppositum alterum diceretur in Christo, quod haereticum est.

c) — Perpendenda tandem est doctrina Summae, et quidem in tertia illa parte, quam ipso anno mortis suae Angelicus edidit. In prooemio q. XVII dicit agendum sibi esse de *unitate* eorum quae ad Christum pertinent. Non de ratione ac proprietate loquendi, ut in q. XVI, verum de reali ordine agendum est: exclusis enim aliis alibi pertractatis, dicit quaerendum hic occurrere de unitate secundum esse, secundum velle et secundum operari. Atqui de ipso *velle* et *operari* quaestio sane realis est. Ergo et de *esse*. Num de *esse personali?* Absurde hoc proponitur: etenim et unam esse personam iam definitum est, et numquam Aquinati in mentem venit alia realitate personam constitui, praeter essentiam et exsistentiam in ordine substantiae. Idem Angelicus absolute ait: naturam uniri personae immediate quantum ad esse (III, D. XIII, q. III, art. I, ad 7^{m}). Et: *Quod pertinet ad rationem personae, oportet in Christo ponere tantum unum, sicut unum tantum esse* (D. XIV q. I, art. I, sol 1). Et: *Unitas rei consequitur esse unum* (D. XVIII, q. I, art. I, ad 3^{m}). Et: *Diversitas secundum esse sequitur pluralitatem suppositorum* (de Pot. q. IX, art. V, ad 19). Et alia huiusmodi sexcenta, ubi insanum est *esse* non pro actu entis, sed pro ficta suppositi diversa quadam actualitate interpretari, ac ridiculam tautologiam

inducere, qua de uno *esse* personali unius personae disceptaretur. Nimis patet unum dici debere formale *esse* suppositi unius.

Praeterea si qua distinctio unitatem inter suppositi et unitatem entis fieri possit, illa ab Aquinate primo articulo huius quaestionis exclusa fuit: quaesivit enim utrum Christus esse unum vel esse duo dicendus sit; respondit vero unum prorsus, non solum masculine, sed etiam neutraliter; etsi ab eodem aliud et aliud secundum diversas naturas excludere non permittat (III p. q. XVII, a. I, ad 2um). Reprehendit scilicet illos non a sua aetate remotos auctores, qui unam personam professi fuerant, unum autem suppositum fateri detrectaverant: putabant enim humanitatem ipsam per se esse, etsi dignitate personae, ob quandam absorptionem in Verbum Dei, destitutam. Negat s. Doctor id cum fide componi; tolleretur enim unio secundum subsistentiam. Est ergo in Christo aliud et aliud prout sic ostenditur naturae duplicitas, non prouti numeratur aliud et aliud quod est.

Quo posito, est unum vel duplex *esse?* Videtur esse duplex. Nam, teste Damasceno, ea quae consequuntur naturam, in Christo duplicantur. Sed esse consequitur naturam, quippe sequitur formam. Ergo est duplex. — Haec prima obiectio est; secundum quam in q. disp. de Unione Verbi s. Th. ait: « Esse humanae naturae non est esse divinae. » Hic autem ubi refertur ad *esse,* qui est actus entis, respondet: « *Esse consequitur naturam, non sicut habentem esse, sed sicut qua aliquid est; personam autem, sive hypostasim, consequitur, sicut habentem esse. Et ideo magis retinet unitatem secundum unitatem hypostasis, quam habeat dualitatem secundum dualitatem naturae* » (III p., q. XVII, a. 2, ad 1um). Scilicet naturas duas utique sequeretur duplex esse; immo, prout *esse* saepe accipitur pro ipsa formali determinatione naturae, sicut in loquutione *vivere viventibus est esse,* et in aliis quae ex ipso s. Thoma alias retulimus, duplex *esse* in Christo legitime ponitur. Verum simpliciter *esse* accipiendum est pro actu quo est id quod est, sive subsistit id quod subsistit. Hac ratione simpliciter est unum esse in Christo, quia unum est suppositum, quod unice subsistens et est et dicitur. Dicta est autem *natura esse ut qua aliquid est;* primo quia formaliter dicit ra-

tionem essentialem per quam unumquodque determinatur sua specifica differentia; deinde quia, etsi accipitur ut singularis et concreta, adhuc significatur ut pars, et quae simul cum suo actu exsistentiae, cui deinde adduntur accidentia, suppositum integrum constituit. Frustra ergo Caietanus ex his verbis evincere voluit non in ipsa singulari substantia, quam ceteroquin s. Th. saepe vocat id *quod est,* immediate exsistentiam recipi. Hic tantum dicitur non duplicari cum natura ipsum *esse,* quia vel secundum modum significandi (Quodl. II, art. IV), vel omnino realiter in Christo, natura humana non est nisi ut qua suppositum est.

Quae doctrina Aquinatis menti sine dubio praelucebat, dum hunc art. II q. XVII describeret. Ait enim (in c. art.): « Quia in Christo sunt duae naturae et una hypostasis, necesse est quod ea quae ad naturam pertinent in Christo sint duo, quae autem pertinent ad hypostasim in Christo sint unum tantum. Esse autem pertinet et ad naturam et ad hypostasim : ad hypostasim quidem, sicut ad id quod habet esse; ad naturam autem sicut ad id quo aliquid habet esse. *Natura enim significatur per modum formae, quae dicitur ens ex eo quod ea* (ablativum) *aliquid est*, sicut albedine est aliquid album et humanitate est aliquid homo ». Per haec igitur patet qua ratione s. Thomas deinde dicat in responsione ad 1^um^, quod antea attulimus de *esse,* prout competit naturae, ut illi qua formaliter determinatur id quod est.

Tamen ipsa ratio formalis in duplici ordine spectari potest. Hoc exponit Aquinas (l. c.), cuius verba sic continuantur: « Est autem considerandum quod si est aliqua forma vel natura quae non pertineat ad esse personale hypostasis subsistentis, illud *esse* non dicitur esse illius personae simpliciter, sed secundum quid; sicut esse album est esse Socratis, non in quantum est Socrates, sed in quantum est albus ». Ubi hoc habemus, distingui esse naturae, non prouti suppositum a substantia singulari distinguitur, quod placeret dicentibus *subsistentia* disponi substantiam ad unum *esse*, verum prouti formae substantiali opponitur accidentalis; et cum proportione *esse* secundarium, quod additur subsistenti, opponitur primario, quo actu ponitur id quod subsistit. Ac reipsa, de accidentali actu agens, s. Thomas prosequitur: « Et huius-

modi *esse* nihil prohibet multiplicari in una hypostasi vel persona: aliud enim est *esse* quo Socrates est albus, et quo Socrates est musicus. Sed illud *esse* quod pertinet ad ipsam hypostasim vel personam, secundum se, impossibile est in una hypostasi vel persona multiplicari, quia *impossibile est quod unius rei non sit unum esse* ». Nullum hic superest effugium ; utique de *esse* agitur prout est actus entis, et *esse* accidentale a substantiali distinguitur, et non aliud agnoscitur ; et illud conceditur in subiecto uno posse moltiplicari, et aliud negatur.

Iam age, communem docrinam s. Doctor Christo Domino applicat. « Si igitur, ait, humana natura adveniret Filio Dei non hypostatice vel personaliter, sed accidentaliter, sicut quidam posuerunt, oporteret ponere in Christo duo *esse,* unum quidem secundum quod est Deus, aliud autem secundum quod est homo ; sicut in Socrate ponitur aliud *esse,* secundum quod est albus et aliud secundum quod est homo, quia esse album non pertinet ad *esse* personale Socratis ». Intellige, non pertinere ad constitutionem personae, etsi alio modo verissime dicitur persona complecti omnia quae etiam secundario subsistenti adveniunt : quod etiam s. Thomas docuit q. II art. II. « Esse autem capitatum, et esse corporeum et esse animatum, totum pertinet ad unam personam Socratis ; et ideo ex omnibus his non fit nisi unum *esse* in Socrate. Et si contingeret quod post constitutionem personae Socratis, advenirent Socrati manus vel pedes, vel oculi sicut accidit in coeço nato ; ex his non accresceret Socrati aliud *esse,* sed solum relatio quaedam ad huiusmodi ; quia scilicet diceretur esse, non solum secundum ea quae prius habebat, sed etiam secundum ea quae sibi postmodum advenerunt ». Nemini liceat hic oblivisci perpetuae doctrinae Aquinatis, unum esse uni subiecto tribuentis, et actum diversum vel distinctam exsistentiam singulis partibus negantis, sive ille agat de partibus essentiae, sive de partibus integrantibus ; quae in memoriam duxit, scribens : « sive esse animatum, sive corporeum, sive capitatum. »

Non aliter vero de humanitate Verbo adiuncta loquendum est. « Sic igitur, cum humana natura coniungatur Filio Dei hypostatice, seu personaliter, et non accidentaliter (en quomodo

accidens supposito opponit), consequens est quod secundum humanam naturam non adveniat ei novum *esse* personale (accidentali oppositum, ut hic dicebat), sed solum nova habitudo *esse* personalis praeexsistentis ad naturam humanam: ut scilicet persona illa iam dicatur subsistere non solum secundum divinam naturam, sed etiam secundum humanam ». Quae si iterum commentariis prosequi vellemus, fumosam lampadem soli admovere videremur.

Haec Angelicus Doctor, et summa articuli haec est: quod *esse* pertinet ad naturam et ad suppositum: verum ad naturam ut ad rationem formalem qua ens determinatur, ad suppositum ut ad illud quod est. Natura autem, et esse quod consequitur, haberi potest vel substantialis vel accidentalis. Esse accidentale multiplicari potest in uno; substantiale, nequaquam. Atqui *esse,* quod per humanam naturam tribuitur Verbo Dei, non est accidentale, at substantiale. Ergo non est nisi illud primum esse quo Verbum est, quodque ad humanitatem extendit. Idem prorsus dixerat q. II art. VI, quando obiicienti quod humanitas supervenit Verbo iam exsistenti, ideoque accidentaliter, responderat hoc non sequi, quia trahitur humanitas ad primum *esse* quo Verbum subsistit. De mente Aquinatis in hac re dubitare nemo potest, nisi qui eius verba a nativa et apud illum perpetua significatione violenter detorquet.

Addimus tamen non hanc doctrinam ut dogma fidei ab Aquinate traditam fuisse. Ideo non explicite eam asseruit in IV C. G., ubi quae sunt fidei contra infideles propugnat, et in *Summa* non posuit ab initio in primis questionibus, ubi creditu necessariam veritatem tironibus proponit. Eamdem denique in *Compendio theologiae* utique affirmat, sed loquutione usus temperata: *Videtur dicendum.* Quo verbo et alias Angelicus usus est ad eas doctrinas in mentem revocandas (minime ex professo tradendas, cum dicat tunc: *respondeo dicendum*), quas ipse ut certas tenet, sed quae in Ecclesia Dei non ab omnibus recipiuntur, cuiusmodi est doctrina aristotelica de compositione hominis contra Platonem, atque alia de intellectu agente. Sensit ille simili modo unitatem exsistentiae in Christo non explicite a Patribus affirma-

tam fuisse; quamobrem in prima defensione fidei contentus fuit communi verbo uti *secundum subsistentiam*. Postea, sine ulla dubitatione, at non ulla e documentis Ecclesiae auctoritate adducta, in q. XVII unitatem ipsius *esse*, asseruit, firmavit. Hanc in priori opere, dum *Sententias* illustraret, a veritate fidei non distinxit; distinxit in *Summa*, non ut aliquid re consequens unionem, sed ut determinationem ipsius unionis, non fide necessariam. Verum et hic subsistentiam nunquam aliter intellexit quam, ut ab eodem didicimus, pro actu quo substantia est; et ab initio in II q. respondit unionem esse substantialem, quia humanitas trahitur ad ipsum *esse* Verbi, non aliter quam corpus trahatur ad *esse* animae (utique sunt discrimina, sed non in hoc), et in q. XVII, ut probet unius *esse* assertionem, ad ea provocat quae in II tradidit, et id inculcat quod iunior dixerat, duplex *esse* ab iis tantum asseri debere qui, primam opinionem sequuti, humanitatem, etsi non per se personam, suppositum tamen, ideoque per se exsistentem, autumabant.

Ad 1^m autem, quo in contrarium auctoritas dictorum in q. disp. *de unione Verbi* afferebatur, respondemus, tum ex illius tractationis minus lucido stylo, tum ex historia, rationes adesse dubitandi utrum illud sit Angelici Doctoris genuinum opus. Deinde respondemus nequaquam opus idem in sua ambiguitate praevalere certissimis testimoniis quae prostant et Thomae iuvenis magistri et eiusdem morti iam propinqui. Tertio dicimus ea verba: *esse humanae naturae non est esse divinae* legitimam interpretationem ab ipso Aquinate recipere, qui tripliciter docuit hoc quod *esse* dicitur accipi posse: pro affirmatione exsistentiae, pro ratione essentiae, pro actu entis. *Aliquando*, ait, *sumitur esse pro essentia, secundum quam res est; quia per actus consueverunt significari eorum principia* (in III, D. VI, q. II, art. II; cf. I, D. XXXIII, q. I, art. I, ad 1^m). Hac igitur significatione ipsum *esse* in textu qui obiicitur accipiemus. Idque iure, non solum quia secum implicantem s. Thomam non licet credere; sed etiam quia obiectiones quas hoc in loco solvit hanc omnino significationem postulant: sunt autem prorsus aliae ab iis quas alibi proposuit sub eodem titulo. Opponit nimirum hic in q. *de unione*

Verbi, quod esse divinum nequaquam est univocum humano, nec potest proinde in unum convenire. Patet hoc referri directe ad rationem naturae vel ad *esse* formaliter ut est actus essentiae: sic vero non est unum in Christo, nisi prout divinum Suppositum, sola divina natura constitutum, secundario ipsam humanitatem respicit. Aliae obiectiones erant quod quaelibet forma habet suum esse, et quod vivere viventibus est *esse*. Porro haec in idem recidunt, quod primo obiectum fuit, et revera solvuntur per haec tantum verba: *Similiter dicendum est ad alia*. Scilicet solvuntur omnia per hoc, quod haec ab humanitate addita non divinum Suppositum constituunt, neque eius *esse* sunt causa; at secundario ab eodem respiciuntur, sicut *esse* hominis respiceret sextum digitum forte sibi excrescentem. *Non ex aequo respicit utrumque esse* (Dei et hominis) *suppositum aeternum*: per primum est simpliciter, ad aliud extenditur. At si extenderetur ad accipiendum novum actum entis, hoc, innegabili Aquinatis doctrina, esset accidentale. Et simpliciter humanitas subsisteret. Et esset suppositum. Haec inquam ille diceret; quod absit.

Secundam difficultatem plene solvimus, cum diximus non de ratione loquendi, at de re omnino agi in q. XVII, ubi de esse, de voluntate, de operatione agendum proponitur, in ordine reali profecto, non logico. Ita etiam patet non aliud per *esse* personale intelligi quam substantialem actum, qui tamen essentiam ipsam nec mutat nec tangit.

Ad 3^{m}, quo *esse* dicebatur et supposito posse tribui et naturae, respondemus hoc verissime dici, sed alia prorsus mente a mente Aquinatis. Aquinas scilicet nullo pacto distinguit actum quo suppositum est ab actu quo natura in sua realitate ponitur: immo patet ex analisi instituta articulorum Quodlibeti IX et III p. Summae, *esse* quod naturam sequitur et supposito tribuitur, dividi in substantiale et accidentale, et non aliud agnosci. Sed *esse* naturae dicitur prouti ex actibus consueverunt denominari potentiae, et ab *esse* denominatur quandoque ipsa essentia quae illi modum confert; dicitur supposito, ut illius quod reipsa secundum suam naturam exsistit. Denique *esse* naturae dicit rationem formalem, qua res determinatur; *esse* supposito est actus

quo ens in actu constituitur. Non aliud unquam apud Aquinatem invenitur.

Ad 4^m^, quo subsistentia ab exsistentia distinguebatur, reponimus integrum articulum de hoc supra positum fuisse, quo ostendimus frustra auctores illius distinctionis, quam certe non ab Angelico Doctore didicerunt, eamdem voluisse in eius doctrinam inducere. Dato tamen et non concesso hoc quomodocumque obtineri posse, integra manet quaestio praesens, in qua et Ferrariensis et Caietanus et interpretes s. Thomae omnes conveniunt, unum a s. Doctore actum substantialis exsistentiae in uno supposito affirmari, unicum ergo poni in Christo Domino.

Quinta quoque obiectio, qua dicitur mutata humanitas sola additione superioris, nulla est, quia certe realitas naturae manet eadem ; sed ipsa additio, qua intrinsece substantiae actus attingitur et mutatur ; ipsa additio, qua fit ut humanitas non sit homo, et sit aliud numero ens ab eo quod esset si in se subsisteret ; ipsa demum additio, qua fit ut substantialiter natura illa sit Verbi et sit ut pars Verbi, et sit in Verbo, profecto aliquid reale et entitativum importat, quod minime naturae rationem, sed ipsius naturae actualitatem et exsistentiam mutat, magis sane quam cum trabes in laqueari componuntur. Quamobrem s. Thomas, qui tum in Sententiis tum in Summa (extrema temporis revoco) negat humanitati quidquam ademptum, scribit tamen : « Non fuit possibilis quod caro prius fuerit concepta et postmodum assumpta (de convenientia tantum agitur) : quia.... hoc sine corruptione carnis prius conceptae accidere non posset. ratio enim hypostasis non est accidentalis rei, ut, re eadem numero manente, alia hypostasis esse possit » (III, D. II, q. II, art. III, sol. I). Idemque in *Summa* tradit, etsi subsistentiam corruptum iri dicat, ne videatur formae separationem a materia asserere. At sicut in eius doctrina, certe verissima, *unitas rei consequitur esse suum*, ita asserit idem numero simpliciter mansisse, etsi mutata natura, corpus Christi in triduo mortis, quia idem mansit supposito : quod nullo pacto intelligeremus, nisi unitas in supposito diceret unitatem in esse (III, q. L, art. V, praes. ad 1^m^).

Sexta item difficultas frustra obiicit humanitatem Christi, auctore s. Thoma, hominem fore hoc ipso quod a Verbo separaretur. Utique, quia haberet suum *esse*, e principiis essentiae sub universali Dei causalitate resultans. Quod etiam expressit exemplo arcae, cuius partes, ait, si arca esset quid naturale, ideoque per se unum, in separatione novum esse acquirerent; non autem acquirunt dum arca artificialis dissolvitur, quia in illa suum esse servabant. Qui haec non manifesta videt, s. Thomae doctrinam de partibus nunquam consideraverit.

Septimum etiam, quo illud *videtur,* e *Compendio theologiae* opponitur, iam praeoccupavimus, quia suam doctrinam, etsi e veritate fidei deductam, non tamen ut Ecclesiae dogma Angelicus Doctor audet proponere. Quo magis apparet non formalem unitatem personae iis verbis dumtaxat exprimi; sed ex modo procedendi, quem in hac re constanter s. Thomas tenet, eam esse constat conclusionem indubia ratiocinatione deductam.

Articulus XI.

Utrum esse divinum potuerit humanae substantiae communicari.

Videtur non potuisse. Inde enim sequeretur quod divinum *esse* respectu creaturae factum fuisset veri nominis forma. Atqui repugnat Deum evadere formale esse creaturae, quod vergeret in pantheismum, ac Deum adduceret in potentialitatem et compositionem. Ergo non potuit divinum Esse humanae substantiae communicari.

2. Repugnat etiam ut Divinitas creatae rei evadat intrinseca, cuiusmodi est actus formalis.

3. Praeterea effatum est, causas intrinsecas, materialem scilicet ac formalem, suppleri omnino non posse. At *esse*, quo res formaliter exsistit, ad causas intrinsecas pertinet. Ergo repugnat ut in humana Christi substantia suppleri queat.

4. Praeterea, si semel ponitur ipsum *esse* creatum per divinum suppleri, ponendum quoque erit formas essentiales et ce-

teros actus divinitus auferri posse, ita ut eorum maneat effectus formalis similis, si non idem, in eodem naturali subiecto. Atqui hoc absurdum est, et penitus in pantheismum cogeret. Ergo idem de *esse*.

5. Praeterea, si *esse* divinum actuat humanitatem in Christo, actuavit etiam partes quae durante eius vita mortali accesserunt ac recesserunt, actuavit accidentia, eaque etiam mutabilia, contra effatum : quod semel assumpsit, numquam dimisit. Tota ergo illa assertio abiicienda est.

Sed contra, est quod in Comp. Theol. c. CCI comparatur unio cum Deo in visione beatifica cum unione hypostatica; ac saepe alibi s. Thomas dicit unionem per gratiam fieri secundum operationem; hypostaticam vero, secundum *esse*. Sicut ergo in priori divina Essentia actuat mentem intelligibiliter; ita in posteriori, eaque sublimiori, vice fungitur creatae exsistentiae.

Assertio. *Ipsa puritas divini Esse facit ut illud queat respectu creatae naturae praestare quod purae actualitatis est.*

Primum, assertio haec mentibus theologorum apparuit, cum de visione beata in coelis disputare debuerunt. Agitur nimirum de attingendo visione Deo, ut est in se. Atqui nulla creata species, cuiusmodi esset quae vel menti infunderetur, vel e mente eliceretur, ipsius *Esse* subsistentis, omne genus entis infinite excedentis, atque ab omni potentialitate remoti, propriam rationem continere potest. Praeterea, intellectus eo potest ferri sua virtute in ordine intentionali, quo pervenit sua spiritualitas sive actualitas, qua potentiae opponitur : potentia enim passive recipit ac determinationem omnem, praeter suam qua actuatur, excludit. Porro divinum *Esse* sua spiritualitate infinite ab omni potentia removetur. Non eo pervenit igitur finitus ullus intellectus, potentiae immixtus, ut ipsum *Esse* subsistens propria virtute intentionaliter fiat. — Tamen *videbimus eum sicuti est.* Oportet ut ipsa Essentia divina finitae menti illabatur, eique fiat immediata ratio eliciendi actum visionis et immediatus terminus; fungi debet vice speciei impressae, qua mens excitatur ad videndum, et speciei expressae, ad quam, sicut ad obiecti imaginem, primo et immediate mens terminatur. Hoc a poste-

riori affirmamus, quia secus absurda est visio Dei, ut est in se, ad quam tamen, sicut ad finem supernaturalem, quod est nostrae spei praecipuum obiectum, dirigimur. Ratio a priori, cur id non repugnet, haec assignatur : quod forma coarctatur subiecto in quo recipitur ; si quis vero actus non habet subiectum, nec potentiae immiscetur, non est causa asserendi contradictionem in hoc quod actus idem, quin recipiatur ac limitetur, actuet tamen aliquid capax illius actus participandi. Huius rei imperfectum aliquod exemplum prostat in anima humana. Cum enim illa materiam non includat ut partem sui et proprium *esse* habeat, actum suum extendere potest ad materiam illius actus capacem. Non potest hoc Angelus, ait s. Thomas, quia non datur subiectum quod naturam illius participare queat. Non autem *esse* creatum ad aliud ens extendi potest, nisi mediante actu essentiae, quam sequitur *esse*. Ex alia parte *esse* omnis creaturae est omnino in sua essentia conclusum, atque eatenus anima facit esse corpus, quatenus naturam illius determinat. Quemadmodum etiam materia non potest vice formae fungi, quia in eodem ordine nequit idem esse actus et potentia, quo probat Aquinas non includi in ipsa anima materiam ullam, etsi subtiliorem ; sic, repugnat ut res finita vice actus quo ens est, fungatur ; includit quippe essentiam quae est potentia ad esse ; repugnat ut finitus intellectus fungatur vice speciei intelligibilis, quia in hoc eodem ordine non est purus actus. Sicut autem materia actum essentialem simplicis animae, et consequenter esse illius, participare potest ; ita potentia obedientiali, quae repugnantiam excludit et virtutem Dei infinitam respicit, potest creata mens immediate actuari per divinam Essentiam ut purum actum intelligibilem ; potest creata essentia in actu poni per divinum Esse, quod absolute est purissimus actus. Quo habet, non certe ut recipiatur in potentia ut illi immixtum ab eaque limitatum; sed ut non absurde dici queat ad illam extendi, eidemque esse loco actus proprii, per quamdam terminationem informationis similem. Manet igitur illi quodammodo extrinsecum entitate sua ; fit illi quodammodo intrinsecum per effectum formalem quem in illa reipsa obtinet.

Tantum dicimus non a priori in hoc ostendi posse absurditatem : longe enim absumus ab intelligendo huius mysterii positivam possibilitatem. Exemplum enim quod in natura invenimus, animae spiritualis quae subsistens est, et materiam non includit, et quia tamen materiam invenit suae actualitatis participandae capacem, illam seipsa actuare valet, remotum est ab iis quae dicimus de actu purissimo, aliquid analogice simile respectu creatae rei praestante. Est enim prorsus sublimis ille actus extra omne genus omnemque ordinem creaturae, nec nisi potentia obedientiali cuius extensionem, a divina virtute quodammodo mensuratam, ignoramus, finita natura ad infinitum actum aliter quam per imitationem participandum, comparatur. Non igitur a priori, non ullo naturali argumento, hoc fieri posse asserere valemus. Quamobrem totum ordinem supernaturalem, qui a visione Dei intuitiva rationem accipit, stricto sensu esse mysteriosum contendimus ; ac visionem illam vel reipsa a naturali intellectu appeti, vel ut possibilem agnosci, nisi data revelatione negamus.

Verum ipsa finis nostri supernaturalis revelatio theologos adduxit ad immediatam asserendam creatae mentis coniunctionem cum Deo, omni specie vel media imagine abnegata, ut absurda. Atqui sicut revelatio visionis Dei, iunctionem illam necessariam ostendit, et purum actum ordinis intelligibilis ad mentem finitam et distinctam extendi posse ac debere declaravit ; pariter omnino, ac non minori certitudine, revelatio Incarnationis de divina Subsistentia, quae non aliud est ab Esse absoluto, idem dicendum esse in tuto posuit. Directe enim et certissima declaratione ostendimus absurdam esse unitatem subsistentis distincti, nisi sit unus actus entis sive una substantialis exsistentia. Unicam contra hoc difficultatem agnosco, quod obsistunt multi. Sed eamdem prorsus difficultatem locum habere video contra universam s. Thomae doctrinam de ente et entis principiis, quam nescio cur non omnes cum plausu excipiant ; video id pendere a conceptione vulgari, quod omnis realitas sit ens suum esse habens, non tantum principium entis per ordinem ad totum exsistens ; quo nihil magis metaphysicam uni-

versam de ente et substantia, totam doctrinam de ente, de substantiali ac de quacumque compositione, impedit et evertit. Modo praeiudicium hoc repudietur, statim unitas ipsius *esse* in Christo Domino magis evidens apparebit, quam immediata coniunctio mentis beatae cum divina Essentia.

Magis, inquam, evidens: quia strictior est unitas suppositi, quae ad ipsum *esse* refertur, quam sit unitas in cognitione. Neque erit reipsa intellectu difficilior: est enim *esse* formalius et in actualitate purius, quam ipsum intelligere. Minus etiam idem *esse* ingreditur rationem essentiae quam in actu ponit; est etiam actualitas cuiuscumque formae, quin illius in se formalitatem accipiat; est denique ultimus actus, cui nihil ut ipsum ulterius determinans addi potest (II C. G. c. LII, Quodl. XII art. V, etc.). Hinc iure colligimus minus difficile apparere, pro hac suprema actualitate, quam pro alia quacumque, eam creatae substantiae cum Deo iunctionem dari posse, quae efficiat ut divina ipsa Essentia vices suppleat ultimae actualitatis formalis, non ulla sui immixtione ac limitatione in potentia, at vera terminatione, quae a vera forma venientem actuationem in subiecto obtineat.

Ad 1^{m} et 2^{m} ex his patet responsio. Quaerenti iterum utrum Verbum sit humanitati intrinsecum vel extrinsecum, respondemus extrinsecum manere distinctione entitatis, intrinsecum fieri formali effectu quem obtinet. Cuius rei aliquid simile in natura invenimus, cum denominamus formaliter passum: mutatur enim passum intrinseco motu; est autem formaliter passum, quia motum ab agente; idemque fere valet in ceteris praedicamentis, ubi est denominatio formalis ab externa re, quo pacto dicitur homo armatus vel vestitus. Meditare exemplum, non quaerendo disparitates, quae te ad nihil vel ad negationem ducent; sed similitudinem, quae per analogiam te iuvabit. Est in corpore extrinsecus denominato proprium aliquod esse, ut sic induto vel mensurato loco et tempore. Multo intimius habet *esse* humanitas Christi per Verbum, etsi Verbum distinctum est ab illa, non secus ac locus a locato, indumentum ab induto.

Quod vero spectat ad pantheismum, timendus hic esset, si diceremus divinum Esse vel poni pro re finita, vel in hoc recipi ut propriam formam. Nihil tale, dum et natura nullo modo est pars Dei, nec Deus asseritur actus receptus. Magnum tamen est quod Deus vere dicatur et natus et passus et mortuus, secundum ea quae in humana substantia contigerunt; quod, non admissa ipsius *Esse* divini communicatione, frustra alii intelligere conantur. Et, metaphysica non repugnantia, posset Deus, omni seposita deordinatione peccati, sic assumere totum universum; et quia ipsa haec elevatio rerum ad *Esse* divinum non tangeret naturas sive essentias, nihil divinae actualitati immisceret potentiae, contingens denique esset ac dependens omnino a libera Dei voluntate, nihil pantheismi contineret.

Ad 3^{m}, quo dicebatur causas intrinsecas non posse suppleri, respondemus distinctione: In ordine ad componendum illud ipsum quod e principiis constitueretur, verum est; in ordine ad supplendum influxum unius principii in aliud, effatum illud non amplius est necessarium. Exemplum habemus in accidentibus eucharisticis et hic in Incarnatione. Non facit Deus illud compositum quantum et album, qui panis erat; non facit hominem qui esset per propriam subsistentiam in humanitate e Virgine efformata. At supplet in dimensionibus panis quod a sua substantia in eas veniret; efficit ut per divinum Esse constituatur in rebus humanitas Christi, melius ac per proprium actum constitueretur.

Ad 4^{m} dicendum, nullam esse paritatem inter actum quod est *esse* et ceteras formas, quibus creatura in sua ratione essentiali vel in qualitatibus constitueretur. Essentia enim et qualitas quaecumque, ipsa realitate suorum principiorum, hanc et non aliam perfectionem, hanc et non aliam entitatem habentium, constituitur. Pariter sapientia et quaelibet operatio intime dicit processionem a vivente quod sic operatur; quamobrem nec dicitur in visione beatifica suppleri a Deo actum ipsum videntis, nec lumen quo videat; at speciem vel imaginem, determinantem ac terminantem actum visionis: divina Essentia illabitur

et videtur ; lumen et operatio, creata sunt. Repugnaret igitur ut Verbum esset humanitati Christi loco sapientiae et sanctitatis ; non repugnat ut sit ratio ultimae actualitatis, qua illa in rebus constituitur, ut qua Verbum est homo.

Ad 5^{m} dicimus posse utique teneri quod accidentia proprium *esse* distincte afferant humanitati Dñi Nostri in sua realitate per divinum *esse* constitutae, non secus ac si per se subsisteret. Non tamen necessario hoc dicitur; quia minime repugnat ut idem *Esse* divinum omne genus transcendens, vice fungatur ultimae actualitatis respectu cuiuscumque finitae entitatis : nulla est ad illud maior proportio substantiae quam cuiuslibet accidentis. Afferunt vero accidentia diversum *esse* a substantiali, quatenus diversam rationem quidditativam habent, cum de *esse* agitur eam rationem consequente, ab eaque resultante. Aliud est cum agitur de *Esse* sine ulla proportione actuante. Quod spectat denique ad accidentia quae mutantur et partes corporeas quae in prima vita accedebant et recedebant; dicendum eas assumptas fuisse, non per se, at per ordinem ad humanum compositum, sicut in triduo mortis iunctum fuit Verbo corpus inanime, in ordine ad id quod fuerat et futurum erat.

Articulus XII

Utrum unio secundum *esse* terminetur ad Personam unam prae alia.

Videtur unio quam factam diximus secundum *esse,* ad naturam divinam quae communis est terminari, ideoque ad omnes Personas. Non enim natura Dei aliud est a suo esse.

2. Praeterea, si humanitas tracta est ad divinum *esse,* unio facta est formaliter secundum aliquid quod Personarum distinctionem in Deo ratione antecedit. Ergo eodem modo unio respicit Personas omnes.

3. De fide tamen est unionem hypostaticam ad unum Verbum referri. Ergo primo et formaliter ad aliquid Verbi proprium facta est. Atqui propria Verbi est relatio tantum. Ergo

ad relationem, non ad ipsum esse, primo et formaliter unio terminata est.

4. Sed dicetur humanitas terminari ad divinum Esse, ut modificatum relatione Filii. Contra: quod uni personae competit ratione attributi communis, etsi ut spectati cum modo proprio illius Personae, non ei competit nisi per appropriationem, sicut creatio competit Patri ut principio sine principio, sed ratione virtutis activae, quae communis est. A pari si unio terminatur ad *esse* divinum acceptum cum modo filiationis, re competit tribus idem esse habentibus.

5. Praeterea, sicut suppositum creatum, ratione prius quam actu sit, in sua individuatione constitutum est, ita et humanitas Christi, antequam per *esse* divinum in re actu ponatur, individuationem habet, qua ad Verbum pertinet. Ergo non prius secundum *esse*, at secundum personalem proprietatem seu relationem, unio hypostatica facta est.

Sed contra est quod nihil substantiale respectu humanitatis intelligi potest, praeter substantiam ipsam et illius actum quo est. Atqui unio hypostatica humanitatem substantialiter attingit, et non secundum substantiam sive naturam. Ergo secundum *esse*; et sine hoc non intelligitur unio, et hoc posito iam plane intelligitur.

Assertio. *Cum de ordine rationis tantum, et non de ulla reali causalitate agatur, dicimus humanitatem ut in re constitutam, prius ad subsistentiam; ut ad Filium Dei terminatam, prius ad personalem proprietatem tractam fuisse.*

In primis advertimus nullam per haec dubitationem moveri circa thesim in tuto iam positam de unitate ipsius *esse* in Christo: hanc enim ex notione unius suppositi et e ceteris eam comitantibus certius deduximus, quam ut per subsequentem quaestionem in dubium revocari queat, tanto magis quod disputatio haec, de ratione qua humanitas ad Verbum potius quam ad alias in Deo personas terminatur, aliis quam nobis est difficilior. Nos enim quaerimus quo pacto divina subsistentia, ut est Verbi, ad humanitatem extendatur, quod mysterium est; alii dicere deberent qua ratione vel humanitas immutata,

vel per modum sibi inhaerentem, unam e tribus Personis attingat; quod videtur absurdum. Ergo ne ex hoc capite sperent difficultatem nobis facessere.

Quod etiam inde fit clarius quod obsistunt nobis, simpliciorem Aquinatis doctrinam tenentibus, sectatores Caietani, modum subsistentiae inducentes a substantia et ab *esse* distinctum. Illi nimirum subsistentias in Trinitate dicunt distinctas, non adhibentes verbum illud concrete tantum ut synonimum personarum, sed etiam abstracte ut modalitates quasdam, ratione ratiocinata distinctas ab omni perfectione absoluta, quibus singulae Personae formaliter constituuntur. Similiter in creaturis tenent subsistentiam esse modum vel terminum substantiae additum, quo haec ad proprium esse recipiendum proxime disponitur, atque ipsam suppositi rationem denique acquirit. Eadem rursus analogia humanitatem Christi putant ad personalem proprietatem Verbi terminari, ac tantum consequenter ad hoc, per divinum Esse actu constitui.

Nihil tale apud s. Thomam invenitur, eaque proinde reiicimus. Subsistentiam, nisi concrete eam intelligamus sicut et substantiam, pro actu accipimus quo substantia exsistit. Unicam illam in Trinitate novimus: etenim *quae dicuntur per respectum ad esse, praedicantur in Deo singulariter, ut subsistentia et essentia* (I, D. XXVI, q. I, art. I, ad 4^{m}; item q. IX de Pot., art. V, ad 19^{m}; Quodl. XII, art. I). Negavimus omnino quidquam intercedere posse substantiam inter, singularem utique, et esse suum. Denique, si quis realis modus ullo argumento ponendus ostenderetur, negavimus illum subsistentiae nomine recte designari; iniuria quippe voci tam immediate a subsistere derivatae genuina et vetus significatio auferretur. Per haec autem omnis ratio perit unionem hypostaticam ponendi in aliquo formali actu qui alius sit a prima exsistentia, qua *hoc aliquid* sistitur in rerum natura. Neque enim prioritate rationis humanitas illa concipienda est in actu posita, priusquam per esse Verbi in huius hypostasi constituatur; nec Verbum denominatur homo antequam humanitatem ad suum esse traxisse et seipso actuasse intelligatur. Per hoc ergo formaliter unio intelligitur, et sine

hoc nulla est. Sic obtinetur veritas prioris notae in definitione suppositi, quae est *subsistens:* Verbum scilicet, *esse* suum ad humanam substantiam extendendo, secundum ipsam subsistit, sive homo est.

Superest obtinenda alia nota: *distinctum;* quae hic verificari debet, prout illa humanitas, etsi divinum *esse* participat, non de Patre et non de Sp. S., at solum de Filio potest praedicari, tamquam id ex quo Filius dicitur homo.

Trahitur nimirum natura assumpta ad *esse,* prout est personae, ut ratio subsistendi; non ut est naturae quae essentiam respicit; prout est Verbi proprium, non prout est commune ssmae Trinitati. Licet enim persona et natura omnino sint idem in Deo, differunt tamen ratione. Porro divinae perfectiones, etsi nulla reali distinctione secernantur, virtualiter tamen multis aequivalent, ut obtinentes diversa quae singulis rationibus conveniunt. Error est ponere virtualem distinctionem, quae summam laedat in se divinam simplicitatem, ac si antecedenter ad finitam intellectionem esset utcumque in Deo aliud et aliud; error non est ponere virtualem multiplicitatem, in ordine ad constituendas distinctas personas in ipso Deo, et ad effectus extra Deum diversae rationis, et etiam ad personalem extrinsecam denominationem, quae non activitatem sed solam terminationem importet.

In hoc s. Thomas sistit: *Esse essentiae est etiam esse personae, et tamen essentia et persona ratione differunt. Quamvis ergo unum sit esse, potest tamen esse considerari, vel prout est essentiae, et sic non unitur humanitas in esse divino, unde non unitur Patri; vel considerari prout est personae, et sic unitur in esse divino* (III, D. VI, q. II, art. II, ad 2[m]).

Certe mysterium est. Facile dixissemus theologi, sicuti sunt communia opera Trinitatis, ita et quamcumque denominationem a creata substantia acceptam eodem pacto ad tres pertinere. Aliud nos fides edocet, qua scimus humanitatem ad Filium referri, non ad Patrem vel Sp. S.; scilicet referri ad Personam filiatione et spiratione distinctam. Non est humanitas particeps actus ipsius notionalis, sive originis active vel passive acceptae, sed utique personalitatis illa origine iam constitutae: relatio Filii

in facto esse ad humanitatem quodammodo extenditur. At repugnat iterum ut relatio quatenus est formaliter relativa, sive prout in se dicit purum respectum, qui per se nec dicit esse reale, sit ratio prima et sola subsistendi absolutae substantiae. Entitative tamen et realiter eadem divina relatio, ut identificata cum Esse infinito, subsistit. Hoc posito mysterio, quod Filius esse idem habeat et tamen ab aliis Personis distinguatur, nil repugnat quod humanitatem faciat suam, non per veram actionem quae cum ipsa Essentia identificatur, sed personali terminatione : scilicet relatio illa Filiationis Essentiam infinitam primario terminat ; secundario terminat et humanam. Atque, ut est subsistens, humanitati ratio est exsistendi in rerum natura ; ut sic subsistit, ratio est cur humanitas non sit Patris nec Sp. S. sed exclusive sua sit.

Ratio ergo cur humanitas ad subsistentiam divinam attrahatur, ipse Filius est, quatenus suum actum, ut personalem, non ut naturalem, ad humanitatem extendit ; nec ratio quaerenda est in ullo actu entitativo seu modali qui sit in humanitate, quique Filium, potius quam P. vel Sp. S., respiciat. Nec valet instantia clarissimi Ch. Pesch, aientis nos per haec doctrinam nostram conficere, quia scilicet Filius non nisi relatione distinguitur, porro relatio non magis ab Essentia distinguitur quam distinguatur sapientia vel alia absoluta perfectio (de Inc. n. 112). Respondemus, absolutis perfectionibus nihil distingui in Deo et non haberi personas ; sed haberi ac distingui relatione : quamobrem unio formaliter hypostatica non ad sapientiam, utique ad relationem ordinari ac terminari potest. Unde sequitur unionem humanitatis cum divina Essentia esse tantum consequentem et materialem ; esset autem directa et formalis, si per se absolutum quidquam respiceret. Ceterum et adversarii dicant quo pacto mysterium liceat ipsis declarare ; dicat clar. Pesch quid ipse sibi velit, cum ait in functione hypostatica Verbi humanitatem communicare (n. 124). Num illa humanitas procedit a Patre vel spirat Spiritum Sanctum ? Num ille concipit actum aliquem, praeter cetera entis principia, in quo personalitas exerceatur ? Subdit ille (n. 121) humanitatem non esse in divino Supposito nisi per virtutem divinam il-

lam assumentem : sed profecto oblitus est hanc virtutem esse communem tribus Personis, et aliud assignandum quo assumptio terminetur ad Verbum.

Actuatur ergo humanitas subsistentia Verbi relativa, quae tamen entitative omnino est absoluta. Qua vero prioritate rationis alterutrum est praeponendum, an absolutum esse, an relatio ? Respondemus nullum in summa simplicitate et perfectissima subsistentiae cum filiatione identitate realem ordinem, qui esset cuiusdam causalitatis, esse quaerendum. Si tamen mente quaerimus quo ordine hoc vel illud prius intelligamus, idem fere dicendum quod de subsistentia ac de relatione in Deo diceretur. Necessario enim prius concipimus Esse absolutum, in quo tamen identice processiones et origines et relationes continentur : nulla ergo realis prioritas, etsi sit in nobis vera necessitas prius cogitandi Dei Essentiam unam, quam Personas distinctas. A pari dicimus non prius exsistere humanitatem Christi, quam sit assumpta, quippe quae per unionem cum Verbo formaliter exsistit ; nec prius esse assumptam quam determinate spectet ad Filium. Cum tamen unaquaeque ratio formalis a sua forma pendeat, sicut nos concipimus humanitatem prius ut ens quoddam quam ut assumptam : ita, secundum rationem subsistentiae, prius illam concipimus ut participem divini Esse ; secundum rationem determinatae Personae, prius concipimus illam terminari ad Filii relationem. Nec repugnat diversus ordo rationis, ubi quae prius et postea concipiuntur non habent eiusdem ordinis mutuam causalitatem, sed realiter sunt prorsus unum et idem, et se invicem excipiunt.

Qui tamen interrogaret quid tandem realis entitatis in illa humanitate inveniatur, quo potius ad Filium terminetur quam ad Sp. S., quaestionem poneret cui plene in hac vita nemo respondere potest. Nihil absolutum videtur esse, quum tres Personae absolute sint idem ; singularem quamdam relationem asserimus, quam explicabit nemo. Mysterium enim est mysterio additum.

Ad haec firmanda animadvertimus assumptionem creatae substantiae ad Deum certe personam respicere, non naturam.

Respiceret enim naturam, si unio fieri posset quodammodo secundum essentiam. Hoc autem repugnat ex omni parte, et nihil absurdius, nedum inquam cogitari (non enim cogitari potuit), sed ne verbis successive prolatis exprimi potuit, errore eutychiano. Nestorius haereticus fuit, sed aliquid protulit possibile ac facile; Eutyches nescivit quid diceret. Non enim divina essentia participari ullo modo potest, nisi per analogicam imitationem, quod creaturis commune est; essentia etiam creata suis principiis potentiali et actuali constituitur; si his caret, vel si uno caret, ipsa amplius non est. Assumptio igitur ad Deum sola ratione naturae prorsus implicat; secundum subsistentiam, sive actum quo substantia est, quin illo actu ipsa substantiae ratio determinetur, unice fieri potest. Subsistentia autem personae est.

Quamobrem, si Deus esset personaliter unus, ut a Iudaeis cogitatur, unio hypostatica intelligeretur quin naturam attingeret; quatenus scilicet et respiceret divinum Esse, non Essentiam; et naturam assumptam non in ratione naturae sed in actu exsistendi mutaret. — Deinde, si tota Trinitas incarnata fuisset, adhuc unio non respiceret naturam sed personas tres, neque immediate terminaretur ad Deum ut unum, sed ut trinum: necessario enim terminus unionis non esset Essentia, sed qui in illa subsistit vel qui subsistunt. Nihil autem repugnat, ut, personae quae ab eadem infinita Essentia non se excludunt, assumptam substantiam omnes habeant suam. Scilicet communicarent idem Esse suum, cum relativis oppositionibus quas includit. Immo difficilius fortasse est intelligere unius relationis modum, sine aliis, quibuscum ea relatio in absoluta entitate convenit, communicatum fuisse. — Certum manet et subsistentiam ut personalem naturae assumptae communicari, et hanc naturam exsistentem constitui ut spectantem ad personam, in quo tum actus exsistendi tum proprius modus personae assumentis pariter continentur; nulla reali prioritate, at sola prioritate rationis, eaque hoc vel illo ordine, prouti vel subsistentia vel personalis distinctio potissimum consideratur.

Ad 1^m ergo quo obiiciebatur identitas divinae Naturae cum suo Esse, respondet s. Thomas *quod licet in Deo non sit aliud secundum rem natura et persona, differt tamen secundum modum significandi, quia persona significat per modum subsistentis; et quia natura humana sic unitur Verbo, ut Verbum in ea subsistat, non autem ut aliquid addatur ei ad rationem suae naturae, vel ut eius natura in aliud transmutetur; ideo unio humanae naturae ad Verbum Dei facta est in persona, non in natura* (III p. q. II art. II ad 1^m). Etsi enim nulla in Deo sit actuum distinctio, virtualiter tamen omnia continet, prout diversos effectus obtinet, melius quam si horum unicuique diversum quid in Deo responderet. Vere igitur et in re aliud est trahi aliquid ad divinam subsistentiam, quod factum est; ab eo quod fuisset trahi ad divinam naturam, quod nec factum est, nec fieri potest.

Ad 2^m, quo dicebatur non posse fieri unionem secundum aliquid commune, cuiusmodi est *esse,* quin fiat unio cum tribus, respondemus negando suppositum: unionem sc. prius respicere ipsum *esse* quam modum secundae Personae; at dicimus vel ad *esse* terminari ut est Filii, vel ad filiationem ut est subsistens; quo pacto humanitas assumpta est ad Filium, minime ad P. vel ad Sp. S. Nisi autem intelligatur unita secundum *esse,* neque exsistit; ideoque pro nostro intellectu prius est *esse,* deinde *relatio,* sicut in ipsis divinis Personis. Inde autem sequitur unionem referri ad Deitatem, sed non ratione sui, verum ratione unius Personae; quod tam necessario dicitur quam certum est et tres Personas unum quid esse, et unicum Filium esse incarnatum.

Per hoc etiam ad 3^m responsum est. Nam et formaliter unio facta est ad Verbum, ut Verbum est distincta persona. At non est persona nisi ut subsistens, et hoc exprimimus secundum actum quem nominare scimus. Est subsistens relatio, sed hoc non importat actum, quem proprio conceptu et nomine designare valeamus.

Ad 4^m, quo dicebatur id quod uni Personae competit ratione communis perfectionis tribus esse commune, respondemus, tribuendum esse Verbo quod subsistentiam communicet huma-

nitati, prouti habet oppositionem ad Patrem et Sp. S.; quo fit ut humanitas habeat trium esse absolutum, sed ut terminatum ad Filium, ideoque aliis Personis non communicet sed potius opponatur.

Ad 5^{m} quo dicebatur naturale suppositum in sua singularitate constitui antequam exsistat, pariterque Christi humanitatem pertinere ad Verbum ratione prius quam sit; respondemus, negando paritatem. Suppositum naturale praecedit sua constitutione actualem exsistentiam sola ratione causalitatis materialis, quatenus [illegible]n hac linea potentia praeintelligitur actui. Idque etiam dici potest, prouti substantia singularis et perfecta iam postulat proprium *esse,* iam hoc ut connaturaliter habendum connotat, iam nominaliter dici potest et *ens* et *subsistens,* quia erit per subsistentiam. Et sic quaerit s. Thomas quomodo natura evadat singularis, et aliter hoc in spiritibus aliter in corporibus obtineri dicit; singularem autem substantiam, secundum rei naturam, suppositum vocat. — At in Christo Iesu subsistentia, ideoque ratio suppositi ab humana natura aufertur, quia non per suum *esse* actuatur. Actuatur per *esse* divinum: sed simul et semel hoc *esse* divinum est et est cum relatione Filii. Quamobrem non alia prioritas alterutrius rationis assignari potest, quam quae superius declarata fuit. Formaliter enim humanitas Christi est quia participat divinum *Esse;* participat vero divinum *Esse* ut terminatum Filiatione: quorum neutrum est prius, nisi consideratione quae ad libitum inverti potest. — Per *esse* autem actuari quod naturalibus principiis constitutum est, ut aliqui dixerunt, veritatem habet quantum ad omnem essentialem rationem, falsum vero est quantum ad ipsam actualitatem exsistendi, et ideo ad rationem suppositi quam ipsum esse ingreditur. Vel illud logice intelligi potest, sive in ordine tantum ad esse, quod est copula propositionis; quo vel status possibilitatis obiectivae vel status actualis realitatis affirmatur. Hac ratione prius intelligo possibilem humanitatem coniunctam Verbo, quam id exsistere affirmem; sed hoc nihil facit ad realem ordinem, quo nullo pacto entitas humanitatis est prius

quam per ipsam Verbum sit homo, ipsaque proinde et divinum esse participet et ad Verbum terminetur.

Scholion.

Haec habuimus quae de notione subsistentiae in ordine ad unionem hypostaticam diceremus. Etsi debemus aliorum qui aliter sentiunt, doctrinam et opinionem revereri, qua ratione non certum sit quod praecipue propugnavimus, minime assequimur. Certum nobis est apud Angelicum Doctorem subsistentiae nomine nunquam aliud praeter substantiae exsistentiam venisse. Data enim opera hanc ille sic determinat, et aliud nunquam innuit. Utique dicit alio modo *esse* pertinere ad naturam et ad suppositum. Verum ipse idem declarat, quia natura significatur ut pars formalis, et ut constituens, suppositum ut totum et ut constitutum. Ubi autem quaerit quomodo obtineatur id *quod est,* ut subiectum exsistentiae, determinat quo pacto in diversis naturis singulare constituatur, et praeterea nihil. Nihil est quod obiicitur aliam esse notionem substantiae, aliam suppositi, ideoque hoc illi addere aliquid necessario, quod ad essentiae ordinem spectat: evidenter enim et nos, modum nullum re distinctum, quem apud Aquinatem nunquam invenimus, agnoscentes, reale illud discrimen agnoscimus; verum ad hoc realis distinctio essentiam inter et esse plene sat est. Substantia enim est essentia suum esse *postulans;* suppositum est substantia suum esse *habens.* Philosopho hoc sane sufficit. Praeterea divino portento factum est ut substantia una *esse* quod naturaliter postularet non habeat, et ad aliud participandum trahatur. Theologo hoc pariter sufficit, ut assertum naturae a supposito discrimen realissimum agnoscat. Quodcumque his superadditur, ad faciliorem loquendi modum obtinendum et naturalem suppositi notionem mutandam, frustra inducitur. Quidquid denique inducitur, nil facit ad infringendam vim argumentorum; et suppositi recepta definitio, et communicatio idiomatum, et unitas substantialis de Christo asserenda, unicum in illo poni debere actum quo est, evidenter ostenderunt.

IV. — De gratia Christi.

39. — Triplex gratia, ait S. Th. (Comp. theol. c. CCXIV) consuevit assignari in Christo. *Primo* quidem gratia *unionis,* secundum quod humana natura, nullis meritis praecedentibus, hoc donum accepit ut uniretur Dei Filio in persona. *Secundo,* gratia *singularis,* qua anima Christi prae ceteris fuit gratia et veritate repleta. *Tertio,* gratia *capitis,* secundum quod ab Ipso in alio gratia redundat.

1) *De gratia unionis.*

De gratia unionis quaeritur utrum per se et formaliter sanctificet humanitatem. Nulli enim dubium est quominus eam sanctificet *exigitive,* prouti omnino repugnat vel minimo actu opponi Deo voluntatem creatam cuius operationes ipsi Deo tribui debent, atque omnino decet ut suo actu Deum attingat anima quae Deo unita est secundum esse. Sunt vero qui contendant formaliter etiam immediate ipsa unione substantiali cum Deo humanam substantiam in sanctitate constitui; ita scilicet ut humanitas illa, etiamsi gratia habituali, qua iusti et filii Dei adoptivi homines constituimur, nulla ornaretur, sancta dici deberet.

Sed quaestio est potius de notione sanctitatis, quam, de iudicio circa rem. Si enim sanctitas accipitur tantum in ordine operationis quae iusta sit et summo bono adhaereat Deo, quum unio hypostatica sistat in *esse* et non sit principium elicitivum operationis, non iniuria quis contendet per assumptionem exigi, non autem formaliter constitui perfectam sanctitatem. Tamen et hanc ipsam exigentiam, cui praesertim repugnat quilibet

moralis defectus, et qua immobiliter humanitas assumpta firmatur in bono, latiori significatione formalem sanctitatem quis non iniuria vocare potest. Praeterea, vera adhuc sententia sanctum dicitur quidquid segregatur a profano usu ac dicatur Deo: sanctus est festus dies, sanctum est templum, sanctissimus dicitur, ratione officii, Pontifex summus; sanctum denique est quod ratione utcumque unita, Divinitatis reverentia vel etiam adoratione dignum est. Eo pacto sanctissima est, posita unione hypostatica, quin aliud quaeratur, Humanitas Dñi N. Igitur, dicta Patrum sequuti, asserimus:

Ipsa unione hypostatica vere constituitur sancta humanitas Dñi Iesu, qui et Christus dicitur, quia unctus Divinitate, prouti secundum esse multiplici ratione aliquid sanctum dici debet, et magna ex parte sanctitatem moralem iam habet, reliquam necessario postulat.

40. — Primo quidem veteres Patres intelligunt de unctione per Divinitatem illud quod habetur Danielis IX, 24: *et ungatur Sanctus Sanctorum,* et etiam illud Ps. XLIV (quod affertur in ep. ad Hebr. I, coll. II, 9): *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae participibus tuis.* « Ipse seipsum unxit, ungens quidem corpus videlicet suum Divinitate sua ungendo, tanquam Deus; unctus autem ut homo; ipse enim et hoc et illud: unctio porro humanitatis est Divinitas »; ita Io. Damasc. De Fide III, 3 (MG. 94, 989). « Christus dicitur propter Divinitatem. Haec enim unctio est humanitatis, non operatione, ut in aliis christis, sed totius ungentis praesentia: cuius hic effectus est ut id quod ungit appelletur homo, et quod ungitur Deus fiat », ita Greg. Naz. orat. XXX n. 21 (MG. 36, 132). Ex illo iterum Damascenus eadem verba accepit orat. I de Imag. (MG. 94, 1232 ss.). Neque aliud asserunt qui, Spiritui Sancto per appropriationem opus Incarnationis tribuentes, unctam ab eodem Spiritu humanitatem dicunt, eo ipso quod assumpta fuit. « Non ante conceptus et postmodum unctus, ait rursus Greg. Naz.; sed hoc ipsum de Spiritu Santo et carne Virginis concipi, Spiritu Sancto ungi fuit ». « Existimamus tamen sanctificatam esse carnem per Sp. S., Verbo scilicet, quod sanctum est, proprium templum,

instar creaturae alterius, per ipsum inungente » (Cyr. Alex. in Io. l. II; MG. 73, 190 ss.). — Magis explicite Augustinus: « Verbum in principio Deus, in quo et ipse Filius hominis sanctificatus est ab initio creationis suae, quando Verbum factus est caro... Tunc ergo sanctificavit se in se, hoc est hominem se in Verbo se; quia unus Christus Verbum et homo, sanctificans hominem in Verbo » (in Io. tr. CVIII n. 5; ML. 35, 1916). Et rursus Cyr. Alex.: « Ideo sanctum et sanctificans Christi corpus, intelligitur, quod, ut modo dixi, templum factum est uniti sibi Verbi corporaliter » (in Io. l. V; MG. 73, 705 ss.). Per haec patet non excludi quidem ulteriorem sanctificationem per gratiam infusam, de quo Isaiae XI, 1 ss. legitur: *Egredietur virga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet, et super hunc florem descendet Spiritus Dñi, Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et pietatis, et replebit illum Spiritus timoris Domini* (filialis intellige, non servilis); sed primo asseri sanctitatem per ipsam unionem hypostaticam, qua nimirum sanctum fuit quod natum est de Virgine, et qua Dñus unctus fuit prae ceteris omnibus, non modo abundantiori copia, sed ipsa divini unguenti praesentia: « Non operatione Dei uncta (humanitas), ut unusquisque prophetarum, sed totius unguenti praesentia »; dixit post Nazianzenum Damascenus (l. cit.).

41. — Patet enimvero ipsa Deitatis substantiali coniunctione multo sanctiorem et honore magis dignam illam Humanitatem effici, quam sit quaecumque res Deo dicata. Quapropter iure ad ipsam carnem Christi ea sanctitas extenditur, quae caro a multis inter veteres *deifica* dicitur et principium vitae supernaturalis propter suam cum Verbo iunctionem. Et bene id Suaresius evolvit (de Incarn. disp. XVII sect. I). « De anima, inquit ille, potissime procedunt quae dicta sunt. Ad carnem vero facile applicari possunt, iuxta illius capacitatem. Non enim omnis res est capax aequalis sanctificationis; et ideo licet Verbum divinum ex se infinitam sanctificationem conferre possit, tamen unicuique confert iuxta modum suum. Caro ergo non potest sanctificari, ut capax essentialis gloriae aut amicitiae

propriae: sed potest sanctificari ut socia animae sanctae, et ut organum illi coniunctum, et ut essentialis pars humanitatis assumptae. Sic ergo sanctificata fuit per unionem caro Christi, quia ex vi illius digna est supremo cultu et reverentia; secundo quia purissima et mundissima effecta est, incapax omnis maculae, non solum culpae sed etiam fomitis, et omnis inordinationis aut defectus qui aliquam indecentiam includit: dicitur autem sanctum quod est coram Deo purum et mundum, ut ex Scriptura constat. Tertio, quia specialiter Deo fuit consecrata, imo propria illius effecta: dicuntur autem maxime sancta quae Deo coniunguntur, eiusve cultui dicantur. Quarto, quia ex vi unionis debetur illi coniunctio cum anima sancta et beata, ac debetur beatitudo, quantum huius est capax. Quinto denique quia non solum sancta sed etiam sanctificatrix et vivificatrix effecta est, ut Cyrillus dixit ». Hactenus Suaresius, et optime.

Sanctitas igitur haec prima, quae dici potest secundum esse, formaliter habetur per substantialem unionem cum Deo. Quae unio, ratione termini qui Deus est, et ratione modi quo ipsum divinum esse (ut est personae, sive ut subsistentia, non ut est naturae, seu naturam mutans) communicatur, ita ut maior vel strictior absolute cogitari nequeat, dici debet gratia infinita. Sanctitas vero humanitatis, prout hic ad instar causae formalis est Deitas ipsa a Persona indistincta, iterum est infinita; at prouti seorsim spectatur in ipsa humanitate ut effectus inde resultans, infinita non est.

42. — Sanctitas vero proprie ac plene in operatione consistit. Quae operatio in praesenti ordine Providentiae modum habet supernaturalem, qui nempe possibilem omnem creatam substantiam excedit, eique indebitus est: terminatur enim ad visionem Dei, uni Deo connaturalem. Gratia vero habitualis, cuius consummatio in lumine gloriae sita est, eiusmodi operationem, sub Dei motione respondente, spirituali creaturae confert. Vere autem ea gratia sanctificans est: quia intrinsece ad visionem ordinatur quae coniunctum habet sanctissimum et necessarium amorem infiniti Boni, et ad illud omnia ordinat; dum etiam in via est, est necessaria radix caritatis, voluntatem suo

fini Deo iungentis; quod habet tali necessitate, ut si a fine nondum possesso per visionem avertatur voluntas, illico gratia pereat. Quomodo hoc cum unione hypostatica connectitur?

Unio illa in *esse* sistit, non naturam attingit quae est operationum principium elicitivum. Supposito enim hae tribuuntur, non cuiusdam dignitatis vel iuris causa, sed vere atque entitative; quia scilicet quod est, illud operatur; atqui suppositum est. Est autem secundum modum naturae suae vel substantialis vel accidentalis; et ad haec sequitur modus operationis. Proinde Suppositum divinum utriusque naturae operationes et modos habet; at non unio immediate et per se in humanis actibus modum ponit ipsi Supposito convenientem. Postulat quidem, immo necessario exigit, ut humanitatis actiones divinae Personae sine repugnantia tribui possint; repugnat vero omnis deordinatio a Bonitate infinita. Postulat ut eadem humana natura Deum in se attingat, ideoque supernaturaliter operetur: quod vel per habitus infusos, vel saltem per motiones sive gratias actuales ad actus superioris ordinis, obtinendum est. Hanc igitur sanctitatem in operando, non formaliter sed exigitive unio hypostatica affert.

Est tamen exigentia haec tam intrinseca et necessaria, ut eadem aliquo pacto sanctitatem moralem formaliter constituere videatur. Sanctitatis enim sunt partes puritas a peccato, firmitas in bono, adhaerere Deo eique placere. Atqui per ipsam unionem haec quodammodo habentur. Non potest enim absolute fieri ut actus culpabilis Deo tribuatur, et non Suppositum divinum assumptae humanitatis actus regat; dein repugnat ut non adhaereat Deo voluntas quae sub illo est; denique ut non sit obiectum divinae dilectionis natura quae facta est, etsi secundario, natura propria Dei: *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam,* ut ait Ap. (Eph. V, 29). Praeterea per unionem ipsam formaliter habetur infinita dignitas et valor infinitus satisfactionum et meritorum Christi: quae immediate pertinent ad sanctitatem operationum, etsi in exequutione obiectiva actuum perfectio per gratiam infusam compleatur.

Hanc itaque doctrinam multi tenent e Scholae s. Thomae (cf. Billuart, de Inc. diss. IX), et e Scotistis (v. Mastrium, disp. II q. I), et e Societate Iesu a Suaresio (disp. XVIII) ad Franzelin (th. XLI), qui non ut de fide sed ut certam tradit.

43. — Obiicere quis potest, per allata testimonia Christo unctionem, non sanctificationem tribui: sed verba perpendenti apparebit ut equipollentia et synonima ea sumi. — Dicunt eadem exponi posse causaliter, non formaliter: at hoc est negandum (saltem ut exclusive dictum), quia Divinitas ipsa unguentum vocatur, eaque unctus dicitur Iesus. — Instant et alias esse Scripturae interpretationes, praesertim ad illud Ps. XLIV: at hoc non negamus, contendimus tamen nostram quoque expositionem legitimam esse et communiter a Patribus datam.

Argui potest: Si per se Divinitas est forma sanctificans, sanctitatem confert infinitam. Atqui huius non est capax creata substantia. Ergo illud absurdum est. — Dist. propositionem: infinitam dumtaxat in termino a quo denominatur humanitas sancta, conc.; intrinsece, vel ut formam inhaerentem humanitati, nego. — Contradist. min.; n. cons. — Gratia unionis absque dubitatione est infinita, ait s. Th. c. CCXV Comp. theol.; sed non ut forma recepta in humana substantia, verum ut denominatio accepta a Divinitate cui coniuncta est.

Instant: A pari, posset illa humanitas sapiens dici, beata dici, aliaque eiusmodi, a sapientia aliisque perfectionibus Dei. — Respondeo negando paritatem; quia hae perfectiones omnino postulant intrinsecam informationem; sanctitas aliqua sola relatione, multoque magis unitate subsistentiae, constituitur.

Sed opponit Vasquez (Disp. XLI, c. 4) sanctitatem esse debere suo subiecto intrinsecam; quapropter non Deitate ipsa sed modo exinde resultante formaliter humanitatem sanctificari. Respondemus aliquod verum esse pendere a forma extrinseca, cui subiectum refertur; porro relationem inde exsurgentem sequitur vel comitatur esse, quod reale est et non solius rationis. Non tamen opus est forma vel entitate absoluta. Haec ad positivam operationem requireretur; minime vero ad sanctitatem, quae in consecratione quadam et in coniunctione cum Deo,

cum repugnantia peccati et radicali necessitate bene agendi, sita est.

Contra Durandus ait: Si Verbum assumpsisset humanitatem pure naturalem, nulla huic inesset maior perfectio in actu primo, quam si esset sibi derelicta. Ergo nulla maior perfectio esset in actu secundo, sive in operando. At humanitas ex se peccare potest. Ergo etiam assumpta. — Respondeo distinguendo propositionem conditionalem: Nulla inesset maior perfectio ut qualitas permanens, concedo; nulla necessitas dependentiae a potiori voluntate Personae assumentis accipiendaeque ab illa motionis in operando, nego. Haec autem plane sufficit ad constituendam sanctitatem de qua diximus, cui ceteroquin additur necessaria exigentia qualitatis etiam infusae ad eliciendos actus supernaturales.

2) — *De gratia singulari et de gratia capitis.*

44. — Nihil est quod addamus iis quae habet Emus Auctor de necessitate ponendi in Christo gratiam infusam et habitualem. Quae certe in sua entitate supernaturalis est, comparate ad humanam naturam quae in illo est, et quam gratia evehit ad operandum eo modo qui in visione Dei beatifica consummatur. Non autem supernaturalis dici debet comparate ad conditionem humanitatis assumptae. Omnino enim debetur operatio, quae attingat Deum ut est in se, illi naturae, quae personaliter Dei propria est, multoque sublimior est unio cum Deo secundum esse quam secundum operationem. Non tamen formaliter prior unio alteram continet, quia sunt in diverso ordine, et nihil facit ipsum subsistere ad modum operationis, qui naturam suis qualitatibus perfectam sequitur. Exigit tamen ut aliquid sibi debitum. — Metaphysice etiam fieri posset ut divina virtus motione de se transeunte (nil facit quod in aeternum duraret) humanitatem eveheret ad actus supernaturalis ordinis, sine qualitate per se infusa et stabili. Sed absonum est habitualem perfectionem, quam conditio absumptae naturae exigit, et quae Christi membris datur, in dubio ponere. — Animadvertimus etiam cum s. Th.

gratiam habitualem Christi non fuisse dispositionem praeviam, sed potius subsequentem proprietatem, ad unionem hypostaticam. Ratio est quod qualitas omnis, eoque magis inde elicita operatio, accidentia sunt quae supponunt primam subiecti constitutionem; contra, unio hypostatica ipsum subiectum, quod facit actu esse, revera constituit. Haec igitur unio, non secus ac ipsa substantiae realitas, gratiam et operationem antecedit. — Quod in doctrina nostra de ipso *esse,* quo ens actu constituitur, unico in Christo, evidens est. Si autem hoc esse humanitatis proprium praesupponeretur unioni, non ego video cur, non tempore sed ratione, gratia ad modum dispositionis eamdem unionem praecedere non posset. — Et in primo instanti, quo fuit anima Christi, perfectissimum actum elicuit, quo adhaesit Deo: quem actum et unio pertinens ad esse substantiale, et gratiae infusio praecessit: unio dedit illi infinitam dignitatem, gratia ratio formalis fuit intrinsecae perfectionis.

45. — Quod spectat ad partes potentiales gratiae: virtutes, dona, gratias gratis datas, omnia in Christo fuere, iis exceptis quae imperfectionem connotant, quae nimirum non formaliter sed eminenter in illo ponere debemus. Ita visio Dei eminenter continet perfectionem fidei; possessio finis, perfectionem spei. — Horror peccati simul cum iustitia reparationem exigente habet quidquid in poenitentia laudabile est. — Et invincibilis amor spiritualium bonorum, cui iungitur perfectum dominium in omnem motum inferiorum facultatum, temperantiam et fortitudinem ponit in meliori conditione atque in meliori actu, quam qui nobis competit adversus carnem luctantibus. — Bona Spiritus Sancti explicite enumerat Isaias (XI, 2) ut plene effusa in Christum Hominem. *Et replebit eum,* inquit, *Spiritus timoris Domini;* prouti nimirum erga summum Bonum, a quo recedere summum malum est, exsurgit sensus reverentiae, cum fuga eorum quae illi Bono opponuntur; qui sensus timoris filialis nomen accepit. Perfecta enim caritas foras mittit timorem servilem, qui poenam timet, non filialem qui a culpa abhorret.

De gratiis gratis datis, quae ad manifestationem fidei ordinantur, eas fuisse in Christo plenissime positas, ut in Magistro

immo fidei Auctore et Consummatore, evidens est. De scientia ac de sapientia, ut de perfectionibus animae, loquendum erit; item de miraculis, quae ab eius potentia procedebant. — Aliqua dubitatio potest surgere de prophetia, quae eminenter et non formaliter Christo Dño tribuenda videretur: sicut enim Deus praesentia habet omnia et nihil illi futurum est, ita qui in Divina Essentia, nempe in speculo aeternitatis omnia videt (quod animae Christi tribuendum est), videt cuncta ut aeternitati praesentia. Porro aliquid inferius est lumen propheticum, quo mens extollitur ad iudicandum de futuro, tamquam de re, quam Deus affirmat, vel utcumque ut futuram ostendit. Tamen s. Thomas prophetiam sensu proprio Christo attribuit (q. VII, art. VIII). Sed attendere oportet septimo et octavo articulo s. Doctorem de gratia vel donis agere, non ut de perfectionibus humanae naturae in Dño Iesu, verum formaliter ut de gratiis datis ad fidei manifestationem. Quidquid ergo fuerit de interno lumine, quaeritur hic utrum manifestatio rerum a cognitione hominum remotarum ratio esset dicendi Christum prophetam. Et respondetur affirmative, minime Iesum spectando ut comprehensorem, sed prouti cum hominibus agebat et erat viator. Porro secundum hanc conditionem, et comparate ad vulgarem cognitionem, ea Ipse dicebat quae omnino ad prophetiam pertinent. Proinde, secundum internam perfectionem, Christus Homo plusquam propheta fuit (alio sensu plusquam prophetam dixit etiam Ioannem, quia melius antiquis prophetis praesentem Salvatorem agnovit); secundum externam manifestationem et viatoris conditionem (a qua nimirum remota erant quae enunciabat), veri nominis propheta fuit. — Quod non est inutili subtilitati tribuendum: oportet enim verbis Moysi suam servare vim, dicentis: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: Ipsum audies* (Deuter. XVIII, 15).

46. — Esse in Dño Iesu gratiam infusam seu habitualem, qua fit ut anima illius sit connaturale principium elicitivum actuum supernaturalium, doctrina est *certa theologice,* ut inter omnes convenit (Suarez, disp. XVIII, sect. II; Vasquez, disp. XLI, c. I; de Lugo, disp. XVI, sect. V; Franzelin, th. XLI), etsi ali-

quis (Alvarez, q. VII, art. I) de fide id esse putaverit. Temerarium est in tam gravi re omnibus contradicere. Isaias praedixerat Sp. S. cum suis donis omnibus in Salvatorem esse descensurum (XI, 1): dixerat etiam ponendum in illo Spiritum Dei (XLII, 1); ac de eodem Ioannes dixit eum nobis apparuisse plenum gratiae et veritatis. (Io. I, 14). Idem Lucas affirmat: *et gratia Dei erat in illo* (II, 40). — Quod Patres intellexerunt. « Dñus Iesus Christus Spiritum S. non solum dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo; propterea dictus est *plenus gratia et Sp. S.* (Io. I, 14; Lc. IV, 1). Et manifestius de illo scriptum est in Actibus Ap. quoniam *unxit eum Deus Sp. S.* (Act. X, 38), non utique oleo visibili, sed dono gratiae, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia. Nec sane tunc unctus est Christus Sp. S., quando super eum baptizatum velut columba descendit. Tunc enim corpus suum, idest Ecclesiam suam, praefigurare dignatus est, in qua praecipue baptizati accipiunt Sp. S., sed ista mystica et invisibili unctione tunc intelligendus est unctus, quando Verbum Dei caro factum est »: haec Augustinus (de Trin. l. XV, c. 26; ML. 42, 1093). His similia habet s. Cyr. Alex. Pariter s. Athanasius sic Iesum inducit loquentem: « Ego, qui Patris Verbum sum, ipse mihi facto homini dono Spiritum, meque factum hominem in illo sanctifico » (c. Arianos, or. I; MG. 26, 12 ss.). Et Io. Chrys.: « Omnis gratia effusa est in illud templum. Non dat enim Deus Spiritum ad mensuram. Nos enim de eius plenitudine accepimus; illud autem templum integram et universam accepit gratiam » (in Ps. XLIV, n. 2; MG. 55, 186). Alios vide apud Petavium (l. XI a cap. VII ad XII).

47. — De perfectione gratiae singularis in Christo, iudicandum est ex duplici titulo quo illa exigitur, prouti humanitas unita est Verbo, et prouti Christus ut homo constitutus est causa universalis sanctificationis nostrae. Quae duo s. Ioannes innuit, aiendo apparuisse Iesum plenum gratia, ut decebat Unigenitum Patris, ac deinde omnes nos de eius plenitudine accepisse. — Convenit ergo omnibus eam gratiam infusam fuisse in animam Iesu, quae longe sit maior omnibus gratiis Sanctorum, qua non

possit esse copiosior in hoc ordine Providentiae, quae convenienter sit causa omnium bonorum supernaturalium singulis iustis ac toti Ecclesiae collatorum, ita nempe ut quidquid est in omnibus Sanctis non sit nisi imitatio et participatio quaedam creatae sanctitatis quae est in Dño Iesu. Qui de his dubitaret, tantum non esset haereticus, quia haec definiendi Ecclesia non habuit occasionem; sed extraneus esset sanae theologiae et communi doctrinae. Et nihil est quod obiicitur, ex sola unione hypostatica haberi in Christo infinitam dignitatem, quae ad salutem omnium et ad quamcumque gratiam obtinendam sit satis. Hoc enim dato et concesso, praeterea requiritur ut in hoc universo servetur proportio gratiam inter quae ceteris infunditur in ordine ad uniuscuiusque electionem et coniunctionem cum Deo et commissum ministerium, cum gratia qua exornari debuit humanitas Christi in ordine ad tanto arctiorem unionem cum Divinitate atque ad officium Salvatoris omnium et Capitis Ecclesiae. — Certe tamen ordinatio divina et mensura, in ordine quoque supernaturali a Deo liberrime praestituta, necessario supponitur. Absolute enim non est ratio, cur Deus hanc potius vel illam mensuram rerum condendarum eligat; quum quidquid faciat, et nihil conferat Creatori, et improportionabiliter ab Illo deficiat (I p., q. XXVI, art. V). Et in ordine ad ipsam unionem hypostaticam, non est quaerenda entitativa proportio perfectionis supernaturalis positae in humanitate assumpta cum divina Persona ad quam assumitur. Nihil fieri potest quod absolute hanc proportionem adimpleat. In rebus tamen conditis optimum ordinem posuit Deus (I p., q. XXVI, art. VI, ad 3); qui ordo temperantiam seu mensuram donorum exigit, ita ut si aliquid melius fieret, ceteris non mutatis, perfectam dispositionem tolleret, ut aucta tensio unius chordae in cythara. A divina igitur Sapientia res omnes sic temperante, modum etiam habuit gratia Christi, proportione magis accepta a gratiis reliquarum omnium creaturarum, quarum caput ille statutus est, quam ab ipso Verbo, cui nihil omnino comparari potest. Aliqua tamen analogia, et eo modo qui divinae Sapientiae placuit, sicut unusquisque Sanctus vel Angelus gratiam obtinuit suae electioni et suo muneri

et suae unioni cum Deo respondentem, et habuit Virgo Immaculata pro sua dignitate Matris Dei, ita etiam habuit Humanitas Christi secundum proportionem cum unione hypostatica, in hac rerum temperie ac dispositione. In qua, unioni hypostaticae sufficienter correspondet talis mensura gratiae *secundum definitionem divinae sapientiae* (III p., q. VII, art. XII, ad 2^{m}). Divina autem Sapientia postulabat ut creaturis omnibus natura assumpta a Deo, non solum praeter personalem unionem sed etiam propter absolutam perfectionem, venerationi esset et admirationi. Postulabat etiam ut quam posuit causam universalem omnium gratiarum, illa esset in hoc ordine sine comparatione excelsior.

48. — Dubitatio hic subit, utrum excessus talis sit, quo gratia Christi dici debeat infinita. Non quaeritur utrum sit infinita in ratione entis; magis patet responsio negativa, quam ut indigeat declaratione. — Non rursus quaeritur utrum talis gratia fuerit, qua divina onnipotentia non posset maiorem producere. Hic etiam evidens est responsio negativa. Quia, quum gratia rationem accipiat a visione Dei, qui nulla finita mente comprehendi potest, et semper potest perfectius cognosci, quidquid Deus ulli intellectui conferat, maius adhuc lumen conferre potest. Et similiter ratiocinatus est s. Th. de charitate (II^{a} II^{ae} q. XXVI, art. VII); et nuper illum audivimus dicentem a divina Sapientia esse mensuram omnium rerum, ipsius etiam gratiae (III p., q. VII, art. XII corp.). Qua ratione visionem quoque divinae Essentiae absolute maiorem fieri posse quam visio animae Christi, affirmatur hic, q. X, art. IV, ad 3^{m}.

Verum, post assertam absolutam hanc finitatem gratiae Christi, prouti nunquam finis est possibilium participationum divinae Bonitatis, comparate ad gratiam quae Sanctis collata est, potest gratia Dñi N. dici infinita: prouti scilicet Anima illa ssña per gratiam ordinatur ad unionem personalem cum Verbo, et constituitur causa universalis sanctificationis omnium; et ea fuit ab initio quae non posset augeri, eaque demum quae nullo augmento gratiarum in aliquo Sancto posset attingi.

Singula perpendamus, a quibus ducta conclusio, quo pacto sit intelligibilis, deinde dicemus.

49. — *Primo* accipitur ratio potissima et intrinseca sanctificationis animae Christi, quo nempe digna fiat unionis hypostaticae, et ut tam sancta sit quam postulat tanta propinquitas ad fontem totius sanctitatis et tam arcta unio cum illo. « Mensura unicuique formae praefigitur per comparationem ad suum finem. Finis autem gratiae est unio creaturae rationalis ad Deum. Non potest autem esse nec intelligi maior unio creaturae rationalis ad Deum, quam quae est in persona » (q. VII, art. XII). Scilicet nulla est comparatio unionis quam Sancti assequuntur amicitiae et adoptivae filiationis ad Deum, cum unione qua Christi humanitas ipsum divinum *esse* attingit et ad divinam Personam intrinsece pertinet. In hac amicitia Sancti per gratiam formaliter constituuntur, et attingunt sua operatione Deum in visione beatifica; per suam gratiam, etsi non ut per antecedentem dispositionem, at ut consequentem proprietatem, Christi humanitas disponitur ad hoc ut sit natura Verbi Dei, ipsaque Verbum constituatur homo, suaque habeat quaecumque in illa humanitate inveniuntur. Incomparabiliter maior est atque intimior est unio haec, qua Verbum est homo, quam sit unio ullius creaturae, in proprio esse manentis. Ergo decet ut incomparabiliter gratia huic iunctioni respondens excedat gratiam, qua Sancti in suo ordine constituuntur. Hoc est quod saepe dicit Angelicus gratiam Christi collatam esse in summo gratiae, prout ordinatur ad unionem cum Deo, qua maior neque esse neque intelligi potest. Ex quo tamen non sequitur simpliciter esse gratiam habitualem infinitam, sicut infinita est gratia unionis; at ex ordine ad unionem substantialem aliquid infinitum, quoad eius fieri potest, et sicut infra, post declaratos alios titulos exponere conabimur, in ipsam gratiam infusam dicimus derivari.

50. — *Secundo:* Christus ut Homo, statutus est veluti causa quaedam universalis sanctificationis hominum, nisi est fortasse etiam angelorum. Quod quidem plene et profunde intelligendum est; nec diminuenda veritas, per hoc quod agitur de causa tantum instrumentali, vel per hoc quod quaecumque est humanitatis dispositio, facit dignitas infinita Personae ut quilibet effectus

per merita Christi obtineri queat. — Utique humana natura instrumentum est; verum toto coelo remotum ab instrumento separato, et ab instrumento non capaci formae inducendae in terminum ultimum effectionis et virtutis activae. Humana Christi natura est substantialiter primo Agenti coniuncta, et per ipsam primum Agens est Homo, qui in hominibus effectus gratiae producit. Alio autem modo virtutem recipit principalis causae instrumentum quod movetur ut quid extrinsecum sicut malleus, alio modo organum ad subiectum agens pertinens sicut manus: hic nimirum ipsa activitas instrumenti est agentis primi, ibi nequaquam. Et licet sit discrimen quod manus est pars viventis, humanitas non est pars Divinitatis, verum tamen manet quod ipsa actio per humanitatem exercita Verbo Dei directe tribuitur. Imprimis autem humanitas eadem capax est eiusdem perfectionis quam producit in aliis, eamque in se habere praecipue illi convenit: quod in instrumentis plerumque locum non habet: certe non est sanctus baptismus sanctitate quam transmittit. Quibus positis, statuit Deus ut Christi humanitas causa esset sanctitatis aliorum, non simpliciter ut quodcumque instrumentum, at potius ut agens perfectum ex cuius redundanti actualitate effectus in alios derivatur; nihilque cogitari possit ad gratiam pertinens, quod in aliquo membro Ecclesiae obtineatur et quod non multo plenius in Christo fuerit tamquam in capite. Caput enim est, et in illa die tantum, qua beati erimus, videbimus quomodo Ille in nobis sit, et nos in Eo simus (Io. XIV, 20): ex quo inferimus de mysteriosa unitate agi, quam nunc mente assequi non valemus, ut simus cum Ipso consummati in unum (Io. XVII, 23): utique sub influxu ipsius Christi in nos, qui per Ipsum vivimus, sicut palmites per vitem. — Quamobrem nihil opponitur quod dignitas infinita Personae iam per se virtutem infinitam tribuit actibus humanitatis. Utique est et illud considerandum ad totam rationem capitis intelligendam; utique ea dignitas sufficeret ad quosdam effectus, praesertim ad faciendum satis pro peccatis totius mundi et ad merendum et ad orandum efficaciter. Non tamen satis ad plenitudinem influxus, quam Christo tribuere deberemus ut homini, in ordine ad omnes gratias et

ad mirabilia Sanctorum. — Iterum ergo gratia in Christo exigitur quae incomparabiliter excedat gratias omnes ulli creaturae collatas, et ab his alium modum habeat, et sit altioris ordinis, sicut altioris ordinis est quod est principium in aliquo genere, et quod est causa per se, non per accidens, et quod est causa alicuius naturae, nec tantum efficit ut ad hoc vel illud ea natura extendatur. Huc certe spectat unio hypostatica; sed consequenter ad hanc unionem, qua iam Christus ab omnibus secernitur, et suae gratiae singularis perfectio, et eiusdem causalitas, proportione quadam, extra ordinem gratiarum quibus homines sancti fiunt, censeri debet. Hoc est quod s. Thomas dicit, posse gratiam Christi considerari, non ut actum in subiecto receptum, at secundum propriam rationem gratiae. *Et sic gratia Christi potest dici infinita, eo quod non limitatur; quia scilicet habet quidquid potest pertinere ad rationem gratiae, et non datur ei secundum aliquam certam mensuram id quod ad rationem gratiae pertinet: eo quod secundum propositum Dei, cuius est gratiam mensurare, gratia confertur animae Christi, sicut cuidam universali principio gratificationis in humana natura....; sicut si dicamus lucem solis esse infinitam, non quidem secundum suum esse, sed secundum rationem lucis, quia habet quidquid ad rationem lucis pertinere potest* (art. XI).

51. — Haec sunt fundamenta, quibus innititur doctrina de singulari gratia Christi; propter quae dictum intelligitur: *Non ad mensuram dat Deus Spiritum* (Io. III, 34). Cuius causa s. Thomas posuit quae attulimus de absoluta plenitudine et de universali efficacia gratiae Christi (art. IX), ita ut illam deinde infinitam quodammodo affirmet (art. XI). Post haec (art. XII) duo superaddit: quod nec augeri potest, neque augmento gratiae in ulla creatura attingi. Verum attendenda est ratio cur neget possibilitatem augmenti et aequalitatis impossibilitatem affirmet Quod ad primum attinet, posset quis illud asserere tantum ex eo quod iam ab initio habuit Christus plenitudinem Filio Dei debitam, et habuit visionem beatificam, quae animam statuit in termino. Verissime, et hoc etiam Angelicus dicit, eamque dicit esse causam ex parte subiecti. Sed et aliam assignat ex parte

ipsius formae, quae hic est gratia. « Ex parte autem formae, ait, excluditur possibilitas augmenti, quando aliquod subiectum attingit ad ultimam perfectionem, quam potest talis forma habere in natura; sicut si dicamus quod calor ignis non potest augeri, quia non potest esse perfectior gradus caloris quam ille ad quem pertingit ignis »: nempe absolute, non ex parte caloris in quocumque possibili, sed in hoc universo, ut veteres physici putabant; non relative ad aliquod corpus quod ex nimio calore dissolveretur, ut vapor aquae, in quo est summum caloris possibilis ex parte subiecti. Eo modo quo calor ignis in natura maximus est, ita in universa creatione maxima est gratia Christi. Quam similitudinem urge, veteram physicam sequutus: multiplici ex parte veram invenies. — Attende pariter ad rationem qua negat s. Doctor gratiam Christi ullo augmento attingi posse. Visum est aliis id praesertim esse tribuendum divinae praedestinationi, qua certe firmavit Deus nulli se gratiam daturum quam Christo Homini contulit. Optima et certissima ratio est; sed licet intimiorem quaerere: prior illa extrinseca est, quippe sistit in causa efficiente, et valet pariter pro Matre ssma, immo et ordinate pro singulis Sanctis, prout unicuique Deus regnum paravit. Frustra Apostolos adaequare niteris; non tamen ex natura gratiae id a priori necessarium est. Maius aliquid de Christo Dño intelligendum est; et ponendum quod quantumvis gratia aliis collata augeatur (sicut si Elias adhuc sit in conditione merendi, et perfectissimos eliciat caritatis actus, hos post multa saecula martyrio completurus), nullo pacto evadat gratiae Christi comparabilis. Hoc autem intelligi non potest, si gratia Redemptoris sit omnino eiusdem rationis ac modi cum gratia aliorum, ita ut haec illi comparetur sicut parvum ad magnum in eodem ordine. Quamobrem huic obiectioni, quod forte diutissime aucta sanctitas alicuius creaturae ad gratiam Christi, nisi haec absolute infinita asseratur, tandem perveniret, respondet s. Thomas in qq. de Ver. et in Summa: « Sicut virtus ignis, quantumcumque crescat, non potest adaequare virtutem solis, ita gratia alterius hominis, quantumcumque crescat, non potest adaequare gratiam Christi » (art. XI, ad 3^{m}). Est nimirum alius

naturae et inferioris ordinis. Porro ex hoc explicationem accipiemus omnium quae circa infinitatem gratiae Christi disserere nitimur.

52. — Ex ordine ad Verbum Dei, cum quo humanitas Christi unitur substantialiter, et ex ordine capitis ad omnes homines sanctificandos, Angelicus Doctor mensuram accipit gratiae Christi; quae utpote ordinata ad maximam iunctionem cum Deo, et ut causa universalis, veluti instrumentum utique, sed effectum excedens, sanctitatis omnium, in summo gratiae esse debet; respectu ceterorum infinita debet dici, et quae nullius augmenti capax, nullo aliorum progressu attingi possit. Sunt hae mensurae perfectionis illius gratiae; sunt mensurae extrinsecae; e quibus intrinsecam perfectionem deducere debemus, quia hanc non valemus directe intueri ac dimetiri. Hoc autem ad assertam veritatem tuendam dicere possumus. Minime debemus in ea opinione sistere, quod gratiae sanctificantis ratio formalis sit una specifice; melius tenebimus, conceptum, quem supernaturalis elevationis theologi habemus, unum esse unitate tantum generica, quae essentialibus notis ulterius ad diversas species et ordines gratiae determinari postulat.

Frustra scilicet perfectiones spirituales et supernaturales modo nostro intelligendi aptare conamur. Porro diversae actualitatis qualitates sensu percipimus in eadem natura specifica; sicut elasticam vim, calorem, electricam tensionem aliaque id genus. Pariter ingenium et scientiam et virtutem vel sanctitatem accidentali differentia discernimus; nec, modum nostri intellectus sequuti, superiores perfectiones alia ratione distinctas percipimus. Atqui sic esse iudicandum nullum argumentum probat; plura autem ad oppositam sententiam nos movent.

Eadem manet perfectionis vel actus notio specifica, cum discrimen tantum est ex parte subiecti, quod magis vel minus illum actum participat. Hoc modo linea curvatur magis, corpus maiorem acquirit vim elasticam, vel calorem; homo etiam, ratione melioris dispositionis organicae, qua aptiores sunt sensus interni intellectui servientes, hunc ipsum meliorem habet, ac firmiores vel utcumque perfectiores acquirit habitus spirituales;

quae omnia formalem determinationem horum actuum non mutant. At non idem est affirmandum, si in natura ipsa alia spectamus, quibus ad superiora intelligenda iuvabimur. Nisi enim diversas brutorum et stirpium formas in nostro conspectu haberemus, vix in vegetatione et in sensu varietatem conciperemus: est tamen sub iis conceptibus genericis indefinita specierum differentia. Pariter, intellectum, et consequenter substantiam quae illius radix est, sub uno conceptu nobis exhibemus. Atqui sine diminutione infinita est diversitas rationum formalium, quibus essentialiter intelligendi modus, et radicalis spiritualium substantiarum perfectio, multiplicantur. Nobis, Aquinatem audientibus, unusquisque angelus specificam rationem sibi propriam habet; qui timent hoc asserere, non negabunt certe essentiale discrimen spirituum supra humanum ascendentium, nunquam ad summum pertingentium. — Frustra tamen formalem differentiam assignare vel conceptu proprio exhibere conaremur: modum nostrum sequuti, non nisi eiusdem formae maiorem veluti intensitatem concipimus. Utique scimus intellectum nostrum a sensibus obiectum accipere; rationes abstractas directe percipere; ad singularia experimento duci, et subiectum exsistens oblique attingere, ut illud in quo rationem intellectam realem esse cognoscimus, seu de quo omnia quae novimus praedicamus; quam dependentiam et obliquitatem de superioribus mentibus negamus. At per negationem eas attingimus; et quid positive proprium modum in ea negatione constituat, et qua intrinseca differentia, intra eam negationem intellectualis natura multiplicetur, dicere nescimus. Ex quo datum est videre, conceptus illos abstractos, quos de rebus inferioribus habemus, ipsa experientia ostendi essentialium differentiarum capaces; ac similiter illos, quos de superioribus naturis nobis efformamus, ubi non directa rerum perceptio nos amplius iuvat, magnam diversitatem certe includere, quam notio generica vel forte analoga, nobis unice concessa, abscondit potius quam ostendit. — Id in participatione vitae divinae, quae per gratiam creaturis intellectualibus communicatur, rationabiliter omnino habere locum asserimus. Dicimus utique gratiam qua spiritus supernaturaliter evehitur; dicimus visionem beatifi-

cam, qua divina Essentia per se illabitur creatae menti, eique ratio fit cognoscendi Deum ut est in se, et per se intellectionem immediate terminat; dicimus lumen gloriae, quo mens fit potens ad intuitionem Dei, et modo convenienti amat. Ad hoc lumen gloriae tamquam ad terminum ordinatur gratia, et ex illo modum accipit caritas. Eiusdem luminis confusiorem notitiam mortales habemus, quam naturae angelicae, et cuiuscumque perfectionis supra nos positae. Nulla ergo est ratio opinandi unicum essentialem modum illius superni luminis, et coniunctionis creati intellectus cum Deo, reipsa exsistere. Et nihil prorsus facit quod propria praedicata, quibus modum unum discernamus ab alio, explicare nescimus; nihil facit quod simplex illius notio appareat. Idem sane de conceptu spiritus ac de angelorum natura dicere debemus. Videnti Deum et donum illud habenti, *quod nemo scit nisi qui habet,* apparebit qua ratione diversum et multiplex esse possit. Magnum argumentum reputandi sic rem habere, nobis est primo analogia naturalium formarum, quae intra idem genus essentiali differentia multiplicantur, etsi nos per accidentales tantum effectus eas discernere valemus; iterum analogia spiritualium naturarum, quas certe conceptu analogico et confuso dumtaxat percipimus, in quibus tamen essentiales differentias negare absonum est; deinde principium certissimum, opera Dei ac divinam virtutem in infinitum extendi, ita ut non gradu solum, sed specie et genere et ordine nova semper fieri possent, quin unquam exhauriatur infinities infinitus Deus.

53. Quae cum ita sint, posse aliquam perfectionem creatam habere, comparate ad perfectiones alicuius ordinis, veri nominis infinitatem, cum illa nimirum superioris ordinis est, quae sunt inferius meliori quadam ratione complectentis, manifesto apparet. Cuius rei adest exemplum pulcherrimum in humana vita, cui vita sensilis brutorum, et peculiari modo in arte hominis cui brutorum instinctus comparantur. Ponatur indefinita series animalium, in quibus exquisiti sensus usque sint vividiores, et sint instinctus mirabiliores, quibus bruta ad sua opera, praeter delectationem et dolorem sensibilem, diriguntur. Nunquam tamen

vita animalis ratione destituti ad humanam perfectionem pertinget; nunquam aestimativa, qua ex gr. alvearia extruunt apes, nidum aves, adaequabit rationem, qua homo ad optatum finem media aptat et seligit. Iterum, quantumvis crescere ponatur humani intellectus vis, nunquam simplicitatem intuitionis angelicae assequentur. Evidentius nulla naturalis intellectio spirituum quoque separatorum superiores cognitiones quas Deus infundere potest adaequabit. Multo minus quaelibet, supernaturalis quoque, viatoris illustratio minimam Dei visionem attinget. — Iamvero, etsi formales differentias et propria praedicata assignare homines nescimus, ex argumentis supra allatis idem esse dicendum de diversis ordinibus supernaturalis elevationis, compertum habemus. Proinde supra ordinem gratiae et ipsius visionis Dei, quae Sanctis conceditur, ponimus illam gratiam et visionem qua Deum attingit Anima Christi; sicuti alterius ordinis est filiatio naturalis ab adoptiva; sanctitas ordinata ad unionem secundum esse, ab ea quae sistit in operando; ac demum gratia illius qui est causa universalis gratiae collatae omnibus Sanctis, ab illa quam hi singillatim participant. — Sicut nullus animalis instinctus humanum intellectum assequitur; nulla hominis vis intellectiva angelum adaequat; nulla perfectio naturalis supernaturalem; nulla viatoris illustratio visionem Dei; sic dicimus nullam gratiam creaturis concessam comparari posse gratiae sanctificanti Hominis Dei. Non ergo haec est simpliciter infinita, quod creatae formae repugnat; sed est infinita comparate ad inferiores gratias, quarum per se fons est et causa, etsi certe non prima; et a quibus etiam indefinite progredientibus nunquam attingeretur, utpote alius modi et altioris ordinis.

54. Quod ad mentem Angelici Doctoris dictum apparet ex iis quae ab illo de singulari gratia Christi deprompsimus. Apparet perspicue e responsione data quintae obiectioni art. III. q. XXIX inter dispp. de Veritate. Obiectio erat: « Caritas viatoris in infinitum augeri potest, quia quantumcumque homo in hac vita proficiat, semper potest amplius proficere. Si ergo gratia Christi esset finita, gratia alterius hominis posset tantum

crescere quod esset maior gratia Christi, et sic ille esset melior Christo, quod est inconveniens ». Qui tenent eamdem penitus esse rationem vitae supernaturalis in Christo et in Sanctis, responderent adaequationem illam non esse timendam, quia Deus infallibiliter providet ut unusquisque suo gradu contineatur. Ulterius procedit s. Thomas, qui nodum ita extricat ut adaequationem ullius Sancti cum Christo intrinsece repugnantem ostendat. Ait enim : « Quamvis caritas vel gratia viatoris in infinitum augeri possit, nunquam tamen potest pervenire ad aequalitatem gratiae Christi. Quod enim finitum aliquid per continuum augmentum possit attingere ad quantumcumque finitum, veritatem habet, si accipiatur eadem ratio quantitatis in utroque finito, sicut si comparamus lineam ad lineam, vel albedinem ad albedinem ; non autem si accipiatur alia et alia ratio quantitatis. Et hoc patet in quantitate dimensiva : quantumcumque enim linea augeatur in longum, nunquam perveniet ad latitudinem superficiei. Et similiter patet in quantitate virtuali vel intensiva : quantumcumque enim cognitio cognoscentis Deum per similitudinem proficiat, nunquam potest adaequari cognitioni comprehensoris, qui videt Deum per essentiam. Et similiter caritas viatoris non potest adaequari caritati comprehensoris : aliter enim aliquis afficitur ad absentia et aliter ad praesentia. Similiter etiam quantumcumque crescat gratia alicuius hominis, qui gratiam secundum aliquam particularem participationem possidet, nunquam potest adaequare gratiam Christi, quae universaliter plena exsistit ». Brevius idem in *Summa :* « Minus per augmentum potest pervenire ad quantitatem maioris in his quae habent quantitatem eiusdem rationis. Sed gratia alterius hominis comparatur ad gratiam Christi, sicut quaedam virtus particularis ad universalem, unde sicuti virtus ignis, quantumcumque crescat, non potest adaequare virtutem solis (memento veteris opinionis circa diversum genus coelestium corporum), ita gratia alterius hominis, quantumcumque crescat, non potest adaequare gratiam Christi » (III p., q. VII, art. XI ad 3^{m}). — Ex his manifeste apparet alius rationis in mente s. Thomae gratiam Christi fuisse a gratia cuiuscumque

creaturae : quo fit ut neque ullo augmento ceterorum illa attingi queat, neque sit ullus effectus gratiae in hoc ordine Providentiae possibilis, quem non eminenter contineat gratia Christi, tanquam excedens causa. Quamobrem contentus ille fuerat in qq. dispp. (art. cit. obi. ult.) dicere omnis gratiae sufficientem causam haberi in Christo propter coniunctam Deitatem ; at in Summa eamdem sufficientiam repetit etiam ex modo proprio gratiae infusae : « Dicendum quod gratia Christi habet infinitum effectum, tum propter infinitatem praedictam gratiae, tum propter unitatem divinae personae, cui anima Christi unita est » (art. cit. ad 2^{m}).

55. At sunt obiectiones. 1.° Dicit s. Thomas art. XII, gratiam Christi pertingere ad summam mensuram gratiae. Ubi nos sistere iubet Caietanus et monet non ergo frustra se dixisse in commentario VII^{i} art.^{i} q. XXIV, II^{a} II^{no}, caritatem habere limitem ultra quem augeri non potest. Videbatur ibi commentator literae Auctoris opponi ; at corticem laedebat, non medullam ; et hic apparet victor, ubi Auctor ait revera gratiam creatam ad summum pertingere in Christo Dño. — Respondemus vix reputare nos posse diffusioribus declarationibus magis implicari literam s. Thomae, quam ibi Caietanus fecerit, qui contra mentem s. Thomae, contendit charitatis augmentum indefinitum dici, prouti in hac vita nova gratia acquiri potest ; sed terminum esse in caritate patriae, ubi est finis, ultra quem aliud perfectius dari non potest : confirmat vero ex hac assertione quod gratia Christi in summo est. Atqui caritas viae per hoc differt a caritate patriae, quod illa, non haec, in eodem subiecto ex divina ordinatione augetur ; utraque autem indefinite maior et perfectior, quemadmodum argumenta s. Th. in II^{a} II^{ae} evidenter probant, produci posset. Quomodo ergo summa dicitur gratia Christi ? Relative, non absolute. Relative, inquam, ad gratiam Sanctorum, sive ad illorum modum. Quem modum essentialiter, et non tantum intensitate vel diversitate gradus, excedit gratia Christo homini collata, ut Filium Dei et ut Caput Sanctorum decebat. Non absolute, quia potest Deus facere aliquid adhuc excellentius gratia Christi, et altiorem sui

visionem conferre (q. X art. IV ad 3[m]). In summo fuit, quatenus si maior adhuc collata fuisset, non proportionem veri capitis cum corpore mystico quae est Ecclesia, habuisset.

2.° At ex hac relatione capitis destrui videtur quod hactenus exstructum est. Etenim capitis et membrorum eadem est vita. Ergo non alius rationis gratia, sed eiusdem prorsus, debuit esse gratia Christi cum gratia fidelium, quidquid sit de gradus excellentia. — Respondemus eamdem esse vitam capitis et membrorum, prout ex omnibus, tamquam ex partibus heterogeneis, totum resultat; nequaquam, prout singularum partium mutua comparatio instituitur. Ita in humano corpore, una est vita totius, quam tamen nervi et musculi et ossa et reliquae organorum texturae diverso modo participant; quam praesertim suo modo et pleniori ratione habet caput. Si enim caput seorsim et reliquum corpus spectamus, multo perfectiorem illius quam horum vitam invenimus, licet et capitis et corporis sit ordo mutuus et ad totum. Pariter Christus in se uno habet propriae rationis vitam, quam suo modo, utique inferiori, membra participant.

3.° Certo docet Angelicus caritatem quae gratiam in omnibus consequitur, eius esse naturae, ut indefinite possit augeri. Atqui si ita est, nullam perfectionem excludit, et nihil est quo non possit pervenire. Ergo non sunt diversi ordines caritatis. — Respondeo, distinguendo mai.: Indefinite augetur caritas, suum modum servando, quem tamen alii modi excedunt, conc.; mutando modum, nego. Contrad. min.: nullam perfectionem excludit sui ordinis, conc.; alius ordinis, nego. Vel si alius modi perfectionem non excludit, non ad illum in sua linea pervenit. Et hoc satis est, ut gratiam Christi intelligere possimus sublimioris modi quam gratias Sanctorum, tamquam plenitudinem cuius imitatione et participatione reliqui omnes sancti sunt. Non autem radix discriminis in caritate esse potest; caritas enim modum sequitur cognitionis. Sed in hac, etiam respectu divinae Essentiae per seipsam communicatae et intellectae, differentias specificas admittere debemus; ac tenere vitam supernaturalem, gratiam, visionem, esse genus et ordinem am-

plissimum, intra quem nova mirabilia semper facere potest infinita Dei virtus.

Haec quam exposuimus doctrina a multorum opinione differt, qui infinitam gratiam Christi dicere contenti sunt eo tantum quod longe eminet et in hoc rerum ordine maxima est. Cui vulgari declarationi et ego forte stetissem, nisi me monuisset amicus meus quem honoris causa nomino Ioachimus Ambrosini e S. I., altius esse in hac re mentem Aquinatis perscrutandam. Vere enim s. Doctor altius spectat, cum dicit gratiam quae ordinatur ad unionem cum Deo secundum esse, intrinsece differre ab illa quae filiis adoptionis conceditur. Deinde modum sublimiorem assignat, cum ait, nullo ceterorum augmento gratiam Christi attingi posse. Denique, cum ait, non solum dignitate Personae, sed gratiae etiam perfectione et excessu, habere Dominum Iesum, ut cuicumque multitudini omnium gratiae effectuum sit principium et causa. Est ergo gratiae illius vera infinitas, non comparate ad Dei virtutem, sed ad ordinem gratiarum quae Sanctis omnibus conferuntur.

V. — De Scientia Christi.

56. Esse in anima Christi scientiam creatam, neque illum scientem esse formaliter unica scientia divina, ad fidem pertinet, quum definitum sit utramque naturam sine confusione in se perfectam exsistere. Et certe de scientia creata s. Lucas scripsit quod puer *proficiebat sapientia* (Lc. II, 51). Diligentior autem de hac scientia disputatio non apud vetustiores Patres invenitur, quum illi in haereticis refellendis pro necessitate temporis destinerentur. At plena doctrinae evolutio theologorum opus fuit, apud s. Thomam (qq. IX-XII) omnino perfectum. Etsi vero ex Scriptura et ex Traditione non haec doctrina adhuc est definita, auctoritate theologorum plene, ut in re certa, consentientium, satis firmata est, ita ut non liceat sine temeritatis nota contradicere. Hoc de scientia Christi exemplum fuse evolvit Melchior Cano in suo opere *De locis theologicis* (l. XII c. XIII), quo ostendat quid valeat theologia e principiis revelatis conclusionem deducens ; idem evolvit bene Petavius (de Inc. l. XI). Nec fuit in Ecclesia qui dissentiret usque ad Guenther et Schell et Loisy et recentiores modernistas, contra quos in decreto *Lamentabili* damnatae fuerunt propositiones a 32 ad 35. (D. 2032 ss). Quarum 32ª est : « Conciliari nequit sensus naturalis textuum evangelicorum cum eo quod nostri theologi docent de conscientia et scientia infallibili Iesu Christi »; et 34ª : « Criticus nequit asserere Christo scientiam nullo circumscriptam limite, nisi facta hypothesi, quae historice haud concipi potest, quaeque sensui morali repugnat, nempe Christum uti hominem habuisse scientiam Dei, et nihilominus noluisse notitiam tot rerum communicare cum discipulis ac posteritate ». — Quae damnationes ostendunt probatae theologiae in hac re sententiam, etsi non definitam, pertinere tamen ad doctrinam Eccle-

siae ; quod ceteroquin consensus veterum theologorum satis declarabat, ita ut recte negationem praecipuae enunciationis, Christo in terris degenti visionem Dei asserentis, Suaresius erroneam iudicaverit (disp. XXV, sect. I, n. 6), et omnes temerariam dicant. Quod spectat ad exclusionem ignorantiae et erroris, vide apud Emum Billot th. XXI, numeris omnibus absolutam. Quod pertinet ad positivam scientiae perfectionem, optima est th. XX, cui aliquot animadversiones subiicimus.

1) — *De scientia visionis.*

57. Ad visionem beatificam asserendam plures afferuntur textus Evangelii, qui, secundum illam assertionem, pulcherrimam habent enarrationem, in iisque Dei visionem Christi humanitati vindicatam unusquisque iure videt. Non tamen ii sunt qui negantem adversarium perstringant ; quia non absurde, communicatione idiomatum, de Christi Divinitate intelligi queunt ; eosque Doctores sacri, ipseque s. Thomas (in ev.m Ioannis), alia ratione declararunt. Sunt et alii loci Scripturae ubi plenitudo gratiae et veritatis in Christo asseritur ; ubi Iesus adhuc utero Virginis inclusus dicitur vir. Iamvero et absoluta plenitudo et perfecta virilitas spiritualis, per visionem obtinetur ; per fidem enim ex parte cognoscimus ; et adolescentes, non viri sumus. Iterum, testimonia suasiva sunt ; non cogentia prorsus. — Nihilominus eam visionem ut certam theologice affirmamus, ut positam in communi sensu Ecclesiae, qui in consensu Doctorum apparet.

Primo habemus consentientes Patres, in asserenda omnimoda perfectione sapientiae Christi ab initio suae vitae, et in negando interiori profectu. « Quid enim eo, quod a principio perfectum, erat perfectius esse potuit? » : ait s. Greg. Naz. (Or. 43, n. 38 ; MG. 36, 548). Et : « Si caro a primo statim ortu vere Deo unita est... ; qui fieri potuit ut non omnibus prorsus sapientiae gratiaeque dotibus affluxerit ? » s. Io. Damascenus (de Fide III, 22 ; MG. 94, 1086 s.) Et Augustinus et Cyrillus notant descensum Spiritus Sancti in baptismate Iesu non fuisse

novae gratiae infusionem, sed prioris ostensionem. Alia multa id genus afferri possunt et praesertim in expositione noti versiculi apud Lucam : *proficiebat sapientia, aetate et gratia*. Conveniunt enim Patres in profectu asserendo vel quoad solam manifestationem, vel quoad notitiam experimentalem, quae nihil adderet interiori lumini ; vel denique id nonnulli referunt ad corpus mysticum Christi, Ecclesiam nempe, in qua vere Sancti proficiunt. Nihil refert quod posterior haec explicatio vim verbis inferre videatur. Ea ratione firmior apparet Patrum sententia, non intrinsecum sapientiae augmentum in anima Domini Iesu unquam extitisse, neque illum didicisse quae prius vere ignoraret, nec maiorem gratiam, labente aetate, adeptum fuisse. Atqui, si visio divinae Essentiae ei ab initio concessa non fuit, nulla est ratio cur sapientiae et gratiae negemus augmentum. Simpliciter enim divina, quae non videret, credere debuisset ; fide ergo operatus esset ; in via fuisset et non in termino respectu perfectae operationis ; libere amasset Bonum divinum, quo nondum necessario determinaretur. His datis, non novam gratiam, non caritatis augmentum acquirere ad imperfectionem et ad privationem pertineret ; infra scilicet non supra Sanctorum conditionem Christi Humanitas eo poneretur. Implicite ergo Patres illius profectum negantes, perfectionem termini et visionem Dei intuitivam posuerunt, et hanc ex eorum doctrina legitime deducimus. — Explicite quoque eam asserere videtur s. Augustinus in q. 65 ex 83, ubi evangelicam narrationem Lazari e sepulcro excitati mystice exponit. Ait scilicet: « Quod facies eius sudario tecta erat, hoc est quod in hac vita plenam cognitionem habere non possumus, sicut Apostolus dicit : *Nunc videmus per speculum in aenigmate, postea autem facie ad faciem* (1 Cor. XIII, 12). Et dixit Iesus : *Solvite eum, et sinite ire*. Hoc est quod post hanc vitam auferentur omnia velamina, ut facie ad faciem videamus. Quantum autem intersit inter hominem quem Dei Sapientia gestabat, per quem liberati sumus, et ceteros homines, hinc intelligitur, quod Lazarus, nisi exiens de monumento, non solvitur : idest, etiam renata anima, nisi resolutione corporis, libera ab omni peccato et ignorantia esse

non potest, quamdiu per speculum et in aenigmate videt Dominum. Illius autem linteamina et sudarium qui peccatum non fecit et nihil ignoravit, in monumento inventa sunt. Ipse enim solus in carne, non tantum monumento non est oppressus, ut aliquod peccatum in eo non inveniretur ; sed nec linteis implicatus, ut eum aliquid lateret, aut ab itinere retardaret » (ML. 40, 60). Opponit hic Augustinus cognitionem quam Iesus habuit illi obscuritati qua nos Deus latet ; ergo Iesum visione beatifica donatum in vita mortali asserit. — Iterum affirmat idem s. Fulgentius, quem etiam ut augustinianae doctrinae testem accipere possumus. Cum enim Ferrandus quidam illum interrogasset an anima Iesu Christi plenam susceptricis Deitatis notionem baberet, s. Fulgentius et affirmative respondet, et eo procedit ut scientiam animae Christi divinae aequiparare videatur (ep. XIV, n. 25 ; ML., 65, p. 416). — Nimius etiam videtur Petrus Lombardus, qui simpliciter omnisciam dicit Christi mentem, et negatam ei dicit omnipotentiam, ne Deus putaretur. Est hic aliqua doctrinae confusio ; sed scientiae Domini magna aestimatio apparet, et omniscentia in ordine ad ea quae sunt in hoc ordine Providentiae, non respectu omnium possibilium, intelligi debet.

Rationes intrinsecas divinam visionem animae Christi ab initio humanae vitae asserendi, et apud Emum A. habes et facile perspicis. Illi enim debebatur quod ad conditionem personae seu Filii secundum naturam pertinebat ; nec meriti erat obiectum, quod erat debitum, et a quo ceteroquin prorsus repugnabat ut deficeret ; et frustra dilatum fuisset quod minus erat quam quod unione hypostatica iam habebat et iniuria modus operandi Illi prorsus conveniens in perfecta unione mentis cum Deo impeditus vel suspensus fuisset. Denique decebat prorsus ut summus omnium Magister plene perspiceret quam divinam veritatem aliis esset traditurus, et immobilis statueretur in termino per quem ad illum assequendum ceteri omnes moverentur. Nulli autem dubium hanc Dei cognitionem animae Christi datam, supra omnem comprehensorum beatam elevationem longe eminere. Respondet enim ea visio plenitudini gra-

tiae, qua apparet Iesus Unigenitus Patris. Novit etiam Ille per visionem Dei quaecumque ad omnium Salvatorem et Regem et Caput pertinent, nempe omnia quae sunt quaeque erunt in creaturis; novit quaecumque novit Deus scientia visionis.

2) — *De scientia infusa.*

58. Qua amplitudine scientiae visionis posita, nulla videretur ratio adesse ponendi super et scientiam infusam, per species a Deo inditas, et scientiam acquisitam per experientiam vitae et exercitationem intellectus agentis. Ex parte obiecti cognoscendi, concedimus necessitatem non haberi: nullo certe caret ipse Deus, quia praeter infinitam visionem, qua Se et in Se omnia videt, non alium cognoscendi modum in Se admittit. Verum in humanitate superest potentia complenda per actum, et facultas ad individui perfectionem directa (quo excludimus vires vegetativas actione carentes, quia ad aliquid extra individuum ordinantur), quae perpetuo inutilis manere non debet. Porro anima Christi, quae statum termini ab initio adepta est, modum operandi spiritibus separatis convenientem postulabat, ideoque species infusas eius rationis quae conditionis illius propriae sunt. In nullo quoque imperfecta manere debuit, vel Angelis inferior. Ergo per species infusas, earum similes, quas ab exordio rerum Deus Angelis indidit, et meliori modo, Christus universum creatum cognovit, corporeas pariter et spirituales naturas; praeterea mysteria gratiae, eventusque omnes ad utrumque ordinem naturalem et supernaturalem spectantes. — Secundum has species, habitus modo receptas, anima Christi operabatur cum vellet; quemadmodum cum volumus, habitu utimur; et poterat illis ad collationem uti, non quo disceret ignota, sicut qui ratiocinando quaerit et invenit, sed quo more hominis diversa compararet et unum cum alio connecti perspiceret. Etsi enim supra ipsos Angelos recepto lumine evectus est, aliquid tamen humanae naturae (non hic loquimur de visione beatifica, ubi tota ratio perfectionis lumen gloriae est), seu modi humanae rationis poterat retinere. — Nullo autem pacto in

usu specierum a Deo inditarum a phantasmatis pendebat, ita ut sensibilem aliquam imaginem, analogice ad ea quae intelligebat, efformare cogeretur. Potuit, si voluit, tale phantasma in se excitare ; non debuit. Atque ita, non solum in visione beatifica, quae nullo pacto cum sensibus communicat, sed neque in usu specierum infusarum, pertinebat vita Christi ad vitam hanc hominum mortalem ; neque ex illa in partem sensibilem quidquam affluebat ; neque secundum illam, sensibiles imagines vel affectiones in Christi facultatibus surgebant. Erat vita illa interior Dñi Iesu, praeter modum humanae vitae ab experientia sensuum et ab exteriori conversatione prorsus segregata.

3) — *De scientia acquisita.*

59. Manet igitur locus scientiae acquisitae, quae utique essentialiter ad facultates spirituales pertinet, tamen et in acquisitione et in usu sensibilem quoque partem hominis occupat. Fuit scientia haec in Christo, prout in Illo sensuum operatio fuit, et sponte ad hanc in nostra natura subsequens operatio intellectus agentis. Reliqua etiam in nobis posita, sive in ordine cognitionis intellectivae abstrahentis et ad phantasmata se convertentis, sive in ordine sensibilium affectionum, quibus forte magis homines percellimur quam puro actu appetitus intellectivi, illi non defuerunt. Fuit autem certissime in humanitate Christi perfectissima dispositio interiorum facultatum, ita ut summa ingenii vi ex naturae aspectu deduceret quidquid in principiis rationis et rerum experientia continetur. Quidquid autem non ea simplici perceptione qua utebatur perspici poterat, ingeniose simul et prudenter coniectari poterat, nisi quod scientia infusa defectus omnis supplebatur. — Porro secundum hanc humanam vitam (interior enim illa, de qua prius, non humanum modum babebat), proficiebat Iesus, aetatis mensuram tenens ; huic vitae referri debet s. Lucae affirmatio, quae certe humanam operationem externamque manifestationem respicit ; haec demum toto decursu temporis, ad mortem usque, interro-

gationibus, admirationi, ceterisque animi motibus, prout hi sensibilem commotionem implicant, locum dabat, neque ullius fictionis vel artificii necessitas quaerenda est. — Ex interno lumine deducebat Iesus in imaginationem et sensum quod oporteret sibique placeret, sicut certe in horto deduxit apprehensionem imminentis passionis ; quod non oporteret vero, seiunctum in parte superiori detinebat quin inferiorem mutaret.

60. — Contra omnia haec de scientia, obiicitur 1° Habemus ex Evangelio per passionem debuisse Christum intrare in gloriam suam (Lc. XXIV) et postulasse Iesum a Patre ut se clarificaret (Io. XVII), et dicitur : Agnus qui occisus est accepisse gloriam et divinitatem (Apoc. V). Atqui praecipua gloria est visio Dei. Ergo et hanc Iesus est per passionem assecutus. — Respondemus illa omnia referri ad manifestationem gloriae et operis Christi ; non ad divinitatem acquirendam, quae personam acquirentem destruxisset ; non ad visionem quae iam personae debita erat.

2° Melius tamen est habere ex merito quam prorsus gratuito. Ergo tribuere debemus Christo quod gloriam quoque essentialem meruerit. — Respondeo, melius esse habere ex merito, quam prorsus gratuito, quod non est aliunde debitum ; sed simpliciter melius esse habere ut sibi debitum et necessarium et connaturale. Alioquin, nulla operatione potuisset obtineri a puro homine gratia unionis qua ipse homo alius constitueretur ; deinde ab homine Deo nulla operatione exigeretur visio, magis quam haec ratione ipsius personae debita esset. Ergo totius obiectionis negandum est suppositum.

3° Videtur saltem neganda cognitio omnium quae Deus videt : sic enim anima Christi ipsi Deo aequiparatur. — Resp. : aequiparatur tantum secundum quid in multitudine cognitorum alicuius ordinis, concedo ; aequiparatur simpliciter vel quoad omnia cognoscibilia, vel quoad lumen, nego.

4° Poneretur tamen cognitio infinitorum, nempe actuum omnium, qui in aeternum ponentur. Atqui cognitio infinitorum est infinita, quae creatae menti repugnat. Ergo non est admittenda. — Resp. distinguendo : Infinita est cognitio eorum quae

infinita sint perfectione, concedo; quae sint infinita multitudine, subdist.: si accipienda sint per viam infiniti, nemper per partes, nego suppositum id vel concipi posse; si accipienda sint sub uno actu ea simul comprehendente, nego. Porro ita videt anima Christi omnia quae erunt, prouti continentur in Essentia divina, omnia continente sive quoad formalem rationem, sive quoad esse exercitum.

5° Atqui et ad haec requiritur virtus infinita, quae intellectui creato repugnat. Nam: quo plura quis uno actu complectitur, puta si quatuor potius quam tria, eo perfectiorem actum habet. Ergo si infinita complectitur, infinitum actum habet. — Resp. negando ass.; ad prob. dist.: Quo plura actus complectitur eo perfectior est, si quod pauciora attingit habet ex proprio defectu, et ad plura extenditur ex aucto lumine vel addita formali aliqua ratione speciei qua obiectum attingat, concedo; si totum contingit ex parte obiecti, quin lumen vel species immutetur vel augeatur, nego. Porro ex parte divinae Essentiae, ea certe apta est omnia exhibere sine ulla sui mutatione; neque ad attingenda in illa infinita numero requiritur infinita virtus, quum illa infinita quodam ordine et quadam mensura perfectionis contineantur.

Atqui in pluribus simul attingendis confusio est. — Respondeo, si imago debeat esse sensibilis, ubi quaevis materialis determinatio aliam excludit, puraeque intentionalitati opponitur, concedo; in ratione intellectuali, ubi unum formale potest esse virtualiter ratio infinitorum inferiorum, nego.

6° Sequeretur a pari posse animam Christi cognoscere omnia possibilia: nam et horum est ratio divina Essentia. Atqui hoc non admittitur. Ergo nec potest poni visio omnium quae erunt. — Nego sequelam et rationem additam distinguo: Divina Essentia ratio est omnium possibilium, quae non exhauriuntur, nisi illa comprehendatur, conc.; quae exhauriuntur, non comprehensa divina Natura, nego. Etenim exhauritur possibilitas non secus ac divina omnipotentia, quae immediate fundatur in Esse infinito. Ea vero quae reipsa erunt, certo ordine continentur, et anima Christi quae in hoc ordine longe maxima est, eumdem exhaurit.

7° Sed contra, videtur cognitio possibilium omnium posse Christo ut homini tribui; non enim ideo Deum comprehendere necesse est. Ad hoc est satis ut non tam clare cognoscantur possibilia quam ea clare cognoscit Deus. — Nego ass.; ad rationem additam dist.: Non comprehenderetur Deus, quatenus non omni ex parte adaequaretur cognitio divina, transeat; quatenus non cognosceretur infinite, nego. Atqui et infinita cognitio ad exhaurienda possibilia certe requiritur, quum illa non multitudine solum, sed et perfectione limitationem negent, et ea cognitio creatae menti certe repugnet. Posse autem omnia cognosci, quin divina Essentia omni ex parte comprehendatur, transmisimus, quum non sit necesse eam dubitationem hic dirimere. Sed nisi claritate infinita imitabilitas et potentia Dei cognoscatur, non omnes prorsus termini istius potentiae atque imitabilitatis discernuntur.

8° Atqui minus est cognoscere quodcumque possibile quam cognoscere Deum. — Resp. distinguendo: quodcumque determinate, conc.; quodcumque collective subdist.: si omnia cognoscerentur per se, transmitto (nego enim suppositum id fieri posse), si omnia cognoscuntur quia cognoscitur Deus, nego.

9° Atqui nullum est possibile, cuius Deus notitiam dare nequeat; ergo potest omnium dare. — Nego sequelam; potest enim Deus quamcumque multitudinem producere, non extra quam nihil supersit. A pari pro cognitione.

10° Videtur non esse paritas: quia Deus totam multitudinem cognoscit, et tamen nequit producere. — Respondeo esse paritatem quoad communicabilitatem actus cognoscentis, qui, si omnia possibilia complecteretur, simpliciter esset infinitus. Est autem haec actualis infinitas necessaria in Deo, absurda in creatura, non secus ac productio effectus infiniti. Ex parte vero termini, nempe cognitorum, non est nisi infinitas potentialis, et negamus esse unam formalem collectionem quae omnia complectatur et quae sub ratione unius collectionis sit praesens divino intellectui. Contendimus nullam esse possibilem collectionem quae non actu ab eodem divino intellectu attingatur. Secus, quod actualiter et positive et determinate intellectui praesens

esset, rationem entis haberet, et ab Omnipotente produci etiam posset.

11° At cognitio quidditativa potentiae divinae inferre videtur cognitionem omnium possibilium, nam uno possibili ablato iam Deus non esset omnipotens. — Respondeo, negando assertum; sequi autem negationem omnipotentiae, si auferretur positive a divina virtute aliquod possibile; non si tantum possibilia distincta non cognoscuntur.

4) — *De compositione gaudii consequentis visionem beatificam cum dolore passionis.*

61. Gaudium quod beatam scientiam sequitur, videtur non posse componi cum dolore passionis. Et quia *tota vita Christi crux fuit et martyrium,* melius visionem beatificam Illi in terris degenti negabimus. — Respondeo non esse ponendum errorem propter insurgentem difficultatem. Tamen, qui negarent tempore passionis, vel visionem Dei, vel saltem gaudium quod ex illa fluit, non spernendi auctores fuerunt. Afferunt verba s. Ambrosii dicentis: *Pro me doluit, qui pro se nihil habuit quod doleret, et, sequestrata delectatione Divinitatis aeternae, taedio meae infirmitatis afficitur* (in Lc. X, 56 ML. 15,1818). Quae verba non unam et certam habent interpretationem; probabiliter innuunt habitualem visionem in anima Christi et suspensionem in passione. Immo suspensum fuisse gaudium ex visione, non visionem, intelligit Salmeron (Comment. X tract. XI), et consentit Maldonatus (In Matth. XXVI, 37). Dux autem eorum qui hoc sentiunt M. Canus fuit (De locis th. l. XII, c. 13), quem sequutus est Greg. de Valentia. — Alii nodum extricare aggressi sunt, tristitiam ponentes tantum in facultatibus inferioribus. Sed contra illos damnata fuit ab Innocentio XII propositio: « Inferior Christi pars in cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes » (D. 1339). Spiritualis anima affligebatur, dum clamaret: Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me? Et appetitus intellectivus, non inquam ut ratio eligens post considerationem omnem; sed certe ut natura, propositum obiectum

secundum naturalem proportionem et spontaneum motum prosequutus, postulabat ut calix transiret. — His itaque relictis, difficultatem qua obiicitur: Nequeunt simul esse gaudium et dolor; atqui in vita mortali anima Christi vehementer doluit; ergo non potuit simul de Deo viso gaudere; sic solvimus: Non possunt esse gaudium et laetitia, sive oppositae passiones, in facultate organica, ubi materialis dispositio actum ingreditur et non nisi una esse potest, concedimus. Non possunt esse oppositae affectiones in diversis facultatibus, nempe in superioribus et inferioribus, distinguimus: naturaliter, ex redundantia ab una parte in aliam, transmittimus; miraculose, impediendo redundantiam, prout certe fecit Christus quantum oportuit et voluit, negamus. Iterum: in parte animae superiori, ubi affectio sequitur actum multo magis intentionalem, qui in diversa obiecta diversa ratione fertur, non potuerunt simul esse gaudium et dolor, prouti eadem anima ad diversa attendebat, ac sub diversis rationibus diversimode afficiebatur, negandum est; vel, si lubet, distingui iterum potest; secundum naturalem ordinem et communem modum quo spiritus operatur, transeat: si enim ad alterutram partem attenderet, forte ex illa una praecipue afficeretur; secundum singularem dispositionem quae fuit in Christo, qui voluit propter nos tristari, dum per se esset comprehensor (recole verba s. Ambrosii), et naturalem influxum unius in aliud intra se impediebat, nego. Id enim difficile nobis videtur, eo quod maxime sensibili vita percellimur et ad modum sensibilium rerum, passionumque inde exsurgentium, iudicamus. Hic autem certe contrariae dispositiones, quum de materiali determinatione et passiva receptione agatur, se mutuo excludunt. Altior est spiritualis operatio, ubi purior est terminatio ad obiectum, et nihil repugnat diversis considerationibus oppositos actus voluntatis respondere. Porro secundum has diversas intentiones subiectum disponitur; quod si hic quoque, imaginatione potius quam intellectu forte ducti, oppositionem naturalem videmus, eam divinitus auferri posse rationabiliter dicimus.

5) — *De scientiae infusae compositione cum scientia beata.*

62. Obiectio superest aliqua contra affirmationem scientiae Christi per species, praeter illam quae in Deo viso asseritur. Ex parte obiecti, nihil discendum restat, postquam Essentia Dei beatae illi animae omnia ostendit. Ex parte subiecti, actu visionis posito perpetuo prorsus, a quo scilicet numquam divertitur mens, alius simul actus videtur absurde poni. — Quoad primum respondemus non ex parte novi obiecti cognoscendi scientiam infusam addi scientiae visionis, in qua omnia patent, et omni modo quo res sunt intelligibiles cognoscuntur. Ita sane per unicam veluti speciem quae divina Essentia est, omnia videt Deus sub omni cognoscibili ratione. Verum in creatura, perducenda est facultas ad actum suum, quae ceteroquin imperfecta manet. Ita habent Angeli species infusas, quas Christo denegare non possumus. Ita ex naturae humanae vi, necessario, Dominus Iesus sensu percipiebat quae adstabant, et interna facultate operabatur. Necessitatem ergo ponimus non ex parte obiecti, sed omnino ex parte subiecti. — Atqui altera obiectio hic venit, non posse eumdem intellectum pluribus simul actibus exerceri. Quod assertum sic distinguimus: Prout actus importat passivum aliquid et, specie recepta, facultatem supponit una veluti figura determinatam, operationum eiusdem generis, sive ex eadem facultate procedentium, pluralitas simultanea repugnat, verum est. Prout operatio dicit actualitatem tantum, et non facultatis passivam informationem; prout etiam dicit intentionalem terminationem ad aliquid; nihil habet commune cum illa determinatione subiecti, quae maxima est in ordine corporeo, ratione materiae, omnino coarctantis et concretam facientis suam formam, et a se formas eiusdem generis, sive in eadem potentia receptas, prorsus excludentis. Simile quid materialis potentialitatis et receptionis habetur, ubicumque forma in subiecto recipitur; ac proinde etiam in ordine intellectus, si intellectus per speciem sibi additam indiget compleri ut valeat obiectum sua cognitione attingere. Ubi vero hoc non indiget, operatio una aliam non impedit. Ita angelus seipsum immediate et sine specie cogno-

scit; eo tamen non prohibetur quominus alia intelligat. Actus vero, quo aliud a se cognoscit per speciem infusam, ratio erit illi se melius cognoscendi, ut ita operativo actu donatus, melius quam ipsi nos per nostros actus percipiat. Cum itaque divina Essentia non sit species in intellectu recepta, at facultati sit ratio eliciendi actum ad eamdem Essentiam terminatum, nequaquam impedimento est, quominus per aliquam speciem vel infusam vel acquisitam mens simul actuetur. — Ex his deduces iterum quam stricte spiritualitati, sive exemptioni a potentia, intellectualis perfectio commensuretur, et qua ratione actus, dum a se materiam arcet in ordine entis, evehatur et intentionaliter extendatur. — Ex dictis etiam colliges non nisi una dato tempore specie mentem creatam uti posse; simul autem, praeter visionem Dei, illa obiecta attingi quae sub aliqua ratione formali una specie exhibentur. Quo vero species infusae puriores altioresque sunt, ad plura se extendunt: sunt quippe universales, non negativa abstractione ut nostrae, sed comprehensivo excessu, quo habent ut multis applicentur, tamquam propria ratio uniuscuiusque. — Quocirca omnia quae in hoc universo sunt et erunt, per species infusas numero finitas potest anima Christi attingere: quod si per ipsas non infinita singularia exhaurire valet (exhaurit utique Dei visione), nullum eorum est quod non aliquando in aeternitate actu attinget. — Denique advertimus usum specierum infusarum, quae a phantasmatis non dependent, nullam cum nostro tempore, cui motus organicus connectitur, proportionem habere, quod de intellectione secundum scientiam acquisitam, seu de usu specierum a sensibus acceptarum, dicere non possumus. Nam phantasmatum actuatio et successio durationem aliquam motu ac tempore mensuratam utique postulat, nec valemus nos uno momento quot volumus mente percurrere. Ea lege, sola intellectus operatio non detinetur, et qua libet celeritate vel stabilitate obiecta intuetur. Unde colligimus potuisse Dñum Iesum quaecumque vellet, etiam dum sensibus uteretur, secundum species infusas, obiecta sive coelestia sive terrestria considerare: non ita ut simul prorsus duabus speciebus mens actuaretur; sed ea celeritate, quae quamplura simul attingeret

et in conspectu haberet: cuius habemus exemplum in oculis nostris, quorum acies in unum simul ac semel distincte defigitur, ac magna tamen mobilitate plurima complectitur. Multo melius anima Christi, praeter visionem, qua omnia simul conspiciebat, quaecumque vellet considerabat, operationem simul habens, et ut ad aliam vitam pertinens secundum species infusas, et, ut inter mortales degens, secundum motum sensuum et species acquisitas.

VI. — De Christi impeccabilitate.

63. In thesibus *ad lauream* hanc posuimus: *Omnem penitus ignorantiam, eoque magis errorem omnem, et magis adhuc omne peccatum a Christo Iesu arcere necesse est.*

De ignorantia ac de errore, multa habes apud Emum A. th. XXI; de peccato, thesi XXIX. Multo magis dicimus errorem arcendum quam ignorantiam; quia haec privatio est debitae perfectionis, error vero aliquid positive contrarium affert, nempe iudicium veritati oppositum. Praeterea vix error admittitur sine aliqua imprudentia, vel in iudicando vel etiam in loquendo, et sic ad moralem deordinationem accedimus. Hanc autem adhuc multo magis a Domino removemus; quia ignorantia, et error ipse, si penitus est inculpabilis, creaturam laedit in ordine ad seipsam, et entitative imperfectam facit, quemadmodum et intellectio subiectum constituit in possessione perfectionis suae, efficitque ut obiecti quoque rationem formalem in se habeat, unde fit ut intellectualitate spiritualis altitudo mensuretur, et visione in finis assequutione intelligens constituatur. At moralis deordinatio creaturarum a Deo tamquam a fine avertit, eamque ad bonum apparens convertit cum iniuria Creatoris. Repugnat igitur infinite ut huic deordinationi divina Voluntas consentiat; et est propterea hic defectus longe alius rationis ab alio omni defectu, quo creatura non in ordine ad Deum, sed tantum deficit in ordine ad propriam bonitatem.

64. *Non fuisse peccatum in Christo, de fide est.* Quod spectat ad originale peccatum, adverte singulari ratione Dñum Iesum ab illo fuisse exemptum, non modo propter unionem hypostaticam, sed etiam ex virginali conceptu; quo factum est ut nulla prorsus ratione ad illum peccatum Adae pertineret, quum non in Adae seminali virtute ipse contentus fuerit. Peccavit autem

primus pater iis omnibus qui ab eodem naturae vi ortum essent ducturi. Quamobrem multi Patres dixerunt Illum unum fuisse a prima labe liberum, qui non virili virtute vitam humanam assequutus est. Ille unus nempe fuit liber vi suae conceptionis et liber ab omni debito culpae contrahendae. Non huc ergo spectat privilegium B. Virginis, quae non ex modo quo concepta est, sed ope tantum praevenientis gratiae, quominus labem contraheret, impedita fuit.

Ad negandum omne in Christo peccatum, habemus testimonium ipsius Iesu dicentis: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* (Io. VIII, 46); et: *Ego quae placita sunt Ei, facio semper* (ib. 29). De eodem Iesu scribit Paulus: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit* (nempe victimam pro peccato) (II Cor. V, 21); et: *Qui semetipsum obtulit immaculatum Deo* (Hebr. IX, 14); et: *Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato* (IV, 15); et: *Talis enim decebat ut esset nobis Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus...* (VII, 26). Similiter cum dicit Petrus *agnum immaculatum;* et: *qui peccatum non fecit* (I Pt. I, 18; II, 21). Quae testimonia Scripturae illustrant Augustinus (De pecc. mer. et rem.; ML. 40, 109 ss.), Epiphanius (Ancor. n. 80; MG. 43, 168), aliique. — Idem in Conciliis definitum est: Ephes. can. 10; Tolet. XI in symbolo fidei; Florent. in decr. pro Iacobitis (D. 122. 286. 711): quibus locis Ecclesia se credere profitetur nullum in Christo peccatum fuisse. — Sanctorum vero Patrum sententias et rationem theologicam, qua peccatum a Dño Iesu excluditur, mox afferemus, non de sola historica negatione, at de rei intrinseca repugnantia, disputantes.

1) — *Repugnantia peccati in Christo.*

65. Fuerunt enim qui dicerent, nullum utique in Dño Iesu fuisse peccatum, at non absolute repugnasse ut Verbum in assumpta humanitate peccatum permitteret. Sicut, Durandus ait, repugnat Deo passio et mors, potuit tamen pati et mori in natura sibi addita, ita in se repugnat illi peccare, non autem pec-

catoris nomen ex communicatione idiomatum accipere. Idem fere tenent Mastrius et Scotistae plerique, quibus censuram theologicam inurere non possumus. Contendimus autem contra rationem unionis hypostaticae id esse et contra Patrum doctrinam.

Multa testimonia Petavius collegit (De Incarn. XI, cc. X et XI), e quibus apparet non solum negari peccatum omne in Christo, sed et peccati possibilitatem. « Quomodo enim peccavit, ait s. Cyr. Alex., qui peccatum non novit, Ille natura et veritate Deus, quique nihil in se pravi suscipere unquam possit? » (l. X in Io). Idem argumentum, ea verba illustrando *dilexisti iustitiam*, afferunt idem Cyr. Alex. (in Io. l. XI), s. Basilius (in ps. XLIV) Dionysius Alex. (in ep. ad Paulum Samosat.), s. Aug. (Enchir. c. XL) aliique apud Petavium (l. cit.). Impugnat Apollinarem, qui a Christo ne peccare posset mentem auferebat, ps. Athanasius, et ait : « Natura et non positione homine facto Domino, nec in natura nec in actione peccatum imputare possumus opifici. Nam in natura nostra adhuc ex invento diaboli exorta pugna perseverat... At Verbi incarnatio secundum naturam Dei facta neutiquam capax fuit illarum rerum, quae etiamnunc haerent ex vetustate nobis inolita, et propterea docemur exuere veterem hominem et induere novum » (apud Petavium, l. c. c. XI). Respondet ergo Apollinari non fuisse peccati capacem naturam illam quae Verbi erat. Eidem haeretico respondet s. Ambrosius, non esse dubitandum quominus Divinitas quae orbem regit, humanitatem assumptam regere potuerit (de Sacram. dom. Inc. C. VII, ML. 16, 834). Item s. Epiphanius (Ancor. n. 79 ; MG. 43, 165 s.). Repetunt nimirum impeccantiam Christi ex necessaria sanctitate Personae, non ex mutabili dispositione. Quod clare exprimit ps. Athanasius, ubi scribit : « Deus Verbum genitus est ex muliere, primitivae creationis formam sibi excitans in demonstratione carnis, absque carnalibus voluntatibus et cogitationibus humanis in imagine novitatis. *Volitio enim erat solius Divinitatis, quia et natura tota Verbi erat* » (contra Apoll. l. II, n. 10 ; MG. 26, 1148). Omnesque hoc habuerunt principium : « Incarnatus Deus Verbum exsistens utramque operationem secundum naturas suas

naturaliter ex seipso proferebat » (s. Sophr. in ep. synod. Conc. VI ; MG. 87, 3168). Vel etiam : « Deus Verbum, cum voluisset in carne nasci, velut freno regebat organum suum, et prout vellet ab inutili omni carnis actione cohibere poterat ; permisit vero illud in corporales necessitates, rationi consentaneas et suae Divinitati non oppositas » (s. Epiph. Ancor. l. cit. ; MG. 43, 165). Vel iterum : « Apprehendit siquidem semen Abrahae, et per omnia fratribus assimilatus est, uno excepto peccato. Nec enim fas erat divinam et immortalem naturam, quae mentem omnem superat, peccati laqueis implicari : vera namque lux est et tenebrae eam non comprehenderunt » (Cyr. Alex. hom. pasch. XXIV ; MG. 77, 885 ss).

Sunt etiam pulchrae similitudines, quibus ostendunt veteres humanitati ad Deum spectanti culpam repugnare omnem. In opere de Principiis (l. II c. VI ; MG. 11, 209 ss.) Origenes disserit quo pacto ferrum ex se calorem et frigus habere possit ; dum autem in igne est, necessario calidum est. Ita humanitas ex se quidem bonitatis et malitiae capax est ; dum vero in Deo spectatur, dum Ei scilicet in unitate hypostasis iuncta est, repugnat illi malitia. — Aliam quoque imaginem exponit, in ea verba : *Unxit te Deus* etc. ; dicens ex unguento divino Sanctos odorem accepisse, Christum vero ipsum vas unguenti fuisse. Porro qui odorem aliunde accipiunt, possunt aliunde foetorem habere ; ipsum vas pretiosi unguenti plenum, non potest. Sic nec Christus potuit peccato inquinari. — Tertiam similitudinem exhibet Theodoretus ex Hippolyto M. acceptam : « Arca ex lignis quae putrescere nequeunt fuit ipse Salvator. Dominus enim impeccabilis erat, ex lignis cariem non sentientibus secundum humanitatem, h. e. a Virgine et Sp. S., formatam intus, et foris tamquam purissimo divini Verbi auro undequaque tectus ». (Dial. I ; MG. 83, 85). Denique s. Cyr. Alex. Dei Filium ait humanam animam omni peccato superiorem reddidisse, naturae suae firmitate eidem communicata, perinde ac si lanam tingendo colore imbuisset (de recta Fide ad Theodosium ; MG. 76, 1133 ss.).

E quibus patet Sanctos Patres non modo in Christo peccatum omne negasse, sed eiusdem necessariam negationem a divina sanctitate accepisse. Quod expressit Augustinus scribens: « Numquid metuendum fuit, ne accedente aetate homo ille libero peccaret arbitrio? Aut ideo in illo non libera voluntas erat, ac non tanto magis erat, quanto magis peccato servire non potest? » (de praed. SS. c. XV; de pecc. mer. l. II c. XI; ML. 40, 981. 161). Et accepit ab Augustino Fulgentius: « Utique etiam Christi humanitas sine peccato permansit, quia eam in unitate personae Divinitas accepit, quae naturaliter peccare non novit » (ad Trasim. l. III c. 29; ML. 65, 293 s.). Idque maxime evolvit s. Io. Damascenus (De Fide l. III a cap. XIV; MG. 94, 1033 s.), cuius testimonium, argumentum theologicum evolventes, mox afferemus.

66. Asserimus nimirum non tantum non fuisse ullum in Christo peccatum, sed neque esse potuisse. Probavimus enim necessario ex unione hypostatica sanctam constitui assumptam humanitatem, ea sanctitate quae primo facit illam rem esse sanctissimam ut Deo coniunctam eique dilectam, omninoque sacram; quae deinde prorsus exigit sanctam operationem. Quae exigentia, quum non sit simplicis convenientiae, sed verae necessitatis a qua opus divinum deficere nequit, iam includit puritatem et repugnantiam deordinatae actionis, quae ipsius sanctitatis in operando magna pars est. Sanctitas ergo, quae iam formaliter per unionem obtinetur, quatenus iam est formalis necessitas puritatis et absurditas peccati (quidquid sit deinceps dicendum de modo exequutionis), iam asserit impeccabilitatem.

Item, per unionem iam hoc habetur, quod actiones humanae naturae tribui debent Supposito divino, ut operanti per naturam suam. Etsi enim natura sit principium elicitivum et det actui elicito modum formalem suum, vere tamen illud operatur quod est; et quia simpliciter est quod subsistit, et subsistit suppositum (natura autem, non verbis tantum sed re, est ut *qua* suppositum sic est), eadem veritate qua supposito tribuitur *esse*, tribuitur etiam *operari*. Igitur Verbum per humanas facultates operabatur in Christo, et creata etiam voluntate ipse

Deus volebat, et patiebatur humano modo : quod a s. Sophronio et a s. Athanasio et ab aliis Sanctis dictum audivimus. Atqui repugnat ut ipsi Deo tribuatur actus divinae Bonitati contrarius, quae peccati formalis ratio est. Ergo quod per illam humanitatem ponatur actus vere culpabilis, qui non in Deum ordinari queat tamquam in finem, vel quo anima a Deo summo Bono avertatur, prorsus est absonum.

Idem manifestum est, attenta necessitate regiminis, sub quo humanitatem sibi additam in persona Deus certe accepit. Repugnat scilicet ut Deus substantiam hanc creatam faciat suam, ita ut in hac Ille subsistat, in hac Ille operetur, et non ponat in operando ordinem unitati subsistendi respondentem. Etiam sine unione hypostatica, posset Deum creaturam aliquam ita sibi subdere, ut actus per ipsam positi moraliter Deo regenti tribui deberent ; quemadmodum de veritate dictorum in libris canonicis respondet tamquam auctor ipse Deus. Ita fortasse in mente Nestorii Verbum regebat actus omnes hominis Iesu. Atqui multo melius et intimius, quod in hypothesi unionis accidentalis intelligi posset, in veritate unionis substantialis necessarium est. Nec refert quod id moraliter tantum necessarium dicatur : quum haec necessitas respiciat Deum, moralis ordo ad ipsum *esse* pertinet. Quemadmodum igitur sapiens homo, prout liberae voluntati habet subditam sensualitatem, ita huic moderatur, et quantum potest eam prohibet ab omni actu inordinato, qui homini ipsi imputaretur, et certe motibus illius rationi oppositis non consentit ; ita Verbum Dei assumptae naturae motus omnes et operationes regit ac temperat, quo nihil seipso indignum (indignum autem prorsus esset quod a Deo fine ultimo averteretur), in ea natura, et consequenter in ipso divino Supposito, admittatur. — Iterum monemus non hic quaeri quo entitativo influxu illud regimen sit exercendum. Satis interim esto eiusdem necessitatem asserere, ex ipsa unitate personae exsurgentem : certe autem in assequendo ordine suae Sapientiae non deficiet Deus. Postulat hic ordo ut in cunctis actibus humanis Dñi Iesu divinum Suppositum partem habeat. Habebit certe,

et morali necessitate, quae in Deo metaphysica necessitas est, id fiet.

Quam doctrinam, e vetustioribus Patribus haustam, optime illustrat Damascenus l. III de Fide orth. c. XV. « Quocirca, ait, Christus secundum utramque naturam suam operatur, ac in eo utraque natura cum alterius communione operatur : Verbo nimirum quae Verbi sunt cum auctoritate et potentia Deitatis efficiente, hoc est regia omnia et quae principatum decent; corpore autem quae sunt corporis exsequente, ad Verbi sibi uniti, cuius etiam proprium factum est, arbitrium. Neque enim suopte nutu ad naturales affectus prosiliebat, nec rursus molesta refugiebat ac detrectabat, aut ea qua externe ingruebant patiebatur, sed secundum naturae conditionem movebatur, Verbo volente certoque consilio permittente ipsum pati et agere quod proprium erat, ut per opera, veritati naturae fides adstrueretur » (MG. 94, 1060). Et cap XIX inculcat iterum duarum naturarum coordinatam operationem : « Non enim aut seiunctas actiones aut naturas divisim operari dicimus, sed coniunctim utramque cum alterius communione, illud quod quaeque proprium habet, agere... Nam uti naturarum tum unionem tum naturalem distinctionem habemus, ita etiam naturalium voluntatum et operationum... Denique *unus idemque erat qui et divino simul et humano modo operabatur* » (MG. 94, 1080).

67. Ad angelicum Praeceptorem quod attinet, non in hac peccati repugnantia metaphysica demonstranda operam ponere cum *Summam* scripsit visus est. Rem unice spectavit sub illa formali ratione, sub qua posuit quaestionem, de defectibus agendo quos Dominus assumpsit. Porro ait eos defectus in humana natura Verbum Dei assumpsisse, qui ad finem Incarnationis assequendum ducebant ; ceterum, omni perfectione ornatam fuisse SSmam illam Humanitatem, prouti Unigenitum Patris decebat. Atqui nullo modo finem Incarnationis peccatum iuvare poterat ; eumdem immo impedivisset. Ergo non hunc defectum Verbum assumpsit (q. XV art. I). Necessitatem sanctae operationis plenius affirmat ubi agit de unitate voluntatis Christi propter dependentiam humanitatis a Deitate (q. XVIII art. 1);

eamque magis explicite pertractat in Comment. Sent. (III Dist XII q. II). Ibi quaerit primo, utrum Christus potuerit peccare deinde utrum in illo fuerit potentia peccandi. Prima quaestio refertur ad actum, secunda ad facultatem. Fieri enim potest ut sit facultas, quam reduci ad actum ex impedimento repugnet Respondet s. Doctor actum peccati in Christo non solum non fuisse, sed neque esse potuisse. Cuius enunciationis duas rationes accipit ex eo quod dux fuit salutis, et ex eo quod frueba-tur Deo. Optime, sed hae rationes non faciunt ad rem nostram facit vero tertia, quae accipitur ab unione hypostatica. Scilicet ait, « secundum quod Christus personaliter fuit Deus, et anima eius et corpus fuerunt quasi organum Deitatis, secundum quod ut dicit Damascenus, Deitas regebat animam et anima corpus Unde non poterat peccatum attingere ad eius animam, sicut nec Deus potest peccare ». Quod vero spectat ad facultatem peccandi, non reducibilem ad actum, *fuit in Christo,* ait, *potentia quae in aliis est potentia peccandi.* Haec s. Doctor, qui etiam obiectionem sibi ponit : Tantum descendit Filius Dei, quantum potuit, praeter peccatum. Sed ultimus gradus citra peccatum est posse peccare. Ergo ipse potuit peccare. Solvit autem dicendo : « Sicut Deus non potuit descendere ad hoc quod peccaret, et ideo Christus numquam peccavit, ita etiam non potuit descendere ad hoc quod peccare posset, et ideo etiam Christus nunquam peccare potuit » (l. c. art. 1, ad 1^{um}). Patet igitur rationem afferri intrinsecam repugnantiae peccati ex ipsa unione hypostatica. Hac enim posita, actiones per humanitatem exercitae sunt actiones Dei ; sunt necessario positae sub divino regimine, quia repugnat ut non regat Deus actus sibi personaliter tribuendos ; repugnat ut ii non sint recti et sancti et in Deum ut in finem ordinati, sicut repugnat falsum esse quod scribit hagiographus, dum scribit sub divina inspiratione. De quibus etiam optime Suaresius disp. XXXIII.

68. Quae quum ita sint, frustra obiicitur liberum arbitrium, quod in humanitate ferri potest ad malum. Eodem pacto scriptor humanus falli potest ; sed non potest certe in sensu composito cum divina inspiratione, non intellectum tantummodo sed

et voluntatem scribendi infallibiliter regente. Simili pacto in sensu composito cum unione hypostatica repugnat ut libertas animae assumptae dimittatur sibi, ita ut labi queat.

Frustra etiam Durandus, cui videbantur contra peccabilitatem Christi afferri magis verba devota quam efficax ratio (non fuit efficax in mente illius) attulit paritatem aliorum defectuum, qui, sicut pati et mori, repugnant Deo, in divina natura non in humana. Disparitas enim est quod ceteri defectus ordinem in Deum ipsum minime auferunt, aufert vero peccatum. Potuit ergo Deus in sua natura admittere quod non est contra Se; non potuit quod fuisset contra Se.

Frustra dicitur maioris laudis esse repellere peccatum quod posset admitti. Hoc enim est ad laudem hominis, non ad laudem Deo. Sed et homo in meliori conditione statueretur si, ex perfectione voluntatis, culpa illi prorsus repugnaret. Neque per hoc laus et perfectio et meritum minuuntur.

Frustra affertur exemplum Angeli qui humanitatem assumeret, et cuius omne peccatum impedire non posset. Praeterquamquod enim hypothesis absurda est (non enim *esse* angelicum extra angelum extendi potest), si sanctus immo beatus Angelus humanitatem haberet sibi adiunctam, teneretur utique in illa deordinationem omnem, quoad eius fieri posset, impedire; et posset quidem multa circa obiectorum propositionem et organicam dispositionem et motum membrorum, non posset autem habere sibi subditam liberam voluntatem, sicut habet virtus divina.

At deberet etiam Deus actus regere filiorum in adoptionem acceptorum. — Neganda prorsus paritas; quia non horum actus ipsi Deo tribuuntur. Ceterum facit quod decet, sua gratia tribuendo vires, quibus peccato resistere possumus.

Quid si Deus assumeret praeexsistentem peccatorem? — Iam ille peccator non esset amplius, corrupta praeexsistente personalitate. Et illa voluntas humana iam detestaretur quidquid fuisset vel esset Deo oppositum, et iam omnia vellet sanctissime. Sed est hypothesis maxime incongrua.

Fuit qui quaereret, quid si assumeretur natura leonina, quid si fluvius? Devoraret ne homines ille leo, vel flumen urbes inundaret? — Sunt dubia decadentis Scholae. Neque illa essent peccata, nec nihil fieret nisi congrue, neque de his absurditatibus disputandum est.

Verum ad quaestionem solidam redeundo, quo pacto voluntas libera impeccabilis redderetur? — Respondemus et ad hoc optime facere visionem beatificam, qua aversio a Deo, qui per illam percipitur ut omne bonum, absurda evadit; ex hoc etiam capite congruit ea visio unioni hypostaticae. — Non tamen eam dicimus necessariam. Potest enim Deus plenissimo dominio quod in omne agens habet, actualibus motionibus efficere ut infallibiliter voluntas sancta sit. Obiicienti autem ea ratione manere in actu primo possibilem voluntatis creatae electionem pravam, respondemus manere possibilem in actu primo physico libertatis per se spectatae, quin attendatur ad infallibilem De motionem et ad exigentiam divinae personae; non manere, si ad hoc attendatur, et ad repugnantiam quod potentia illa physica ad actum secundum deveniat. Iamvero hoc satis est, et frustra quis quaereret in ipsa persona rationem immediatam atque exequutivam rectae operationis humanae; operatio enim immediate a natura procedit, personalitas autem in actu ipsius *esse* consistit.

2) — *De libertate Christi in subeunda morte crucis.*

69. Cum his connectitur quaestio de libera obedientia quam Christus praestitit Patri in morte ferenda pro salute hominum. Cuius difficultatis enodationem multi quaesiverunt, ut videre potes apud p. Ch. Pesch (de Incarn, a n. 318), et apud Emum Billot th. XXIX. Quod Emus dicit, libertatem non posse intelligi in Christo Dño, si praeceptum illi positum fuerit, quemadmodum et nobis ponitur sub interminatione abruptae amicitiae divinae certum est atque evidens. Alia igitur ratione praeceptum intelligi debet. In qua re negligendum non est omnino quod iam multis animadversum fuit (cf. Suarez disp. XLIII sect. IV; Pesch

n. 339 et ibi in nota), praeceptum impositum fuisse Christo, consentienti et volenti, sine ulla poenae comminatione. Immo hoc multum refert ad intelligendam rationem veri mandati, quo tandem pacto Filio, in sua conditione immobili, poterat imponi. Nempe obligatio est *necessitas finis assequendi* Tanti illa valet quanti refert ut finis obtineatur. Finis nobis assequendus est Deus in patria possidendus, hic amicus et pater. Hoc amittimus si praeceptum laedimus. De hoc vero neque cogitandum neque agendum ullo modo erat respectu Dñi Iesu. Ergo non erat pro illo praeceptum *univoce* dictum cum praecepto nobis imposito. Erat tamen obligatio alicuius finis obtinendi. Cuius? Non alius certe, nisi nostrae salutis. Conditio ergo a Patre statuta fuit: Si vere Iesus peccata nostra in se accipere voluit, si voluit pretium redemptionis offerre, crucem conscendere debuit. Si noluisset conscendere, neque nos redemisset. In ordine ad hunc finem, non aliter, veri nominis praeceptum fuit.

At salutem nostram vel peccata nostra in se accipere, coactus ne fuit praecepto Patris? Respondeo hoc nusquam dici. Immo *oblatus est quia ipse voluit* (Is. LIII, 7). Deque Illo scriptum est: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum* (ib. 10); et: *Ingrediens in mundum dixi: Hostiam et oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi. Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam* (Ps. XL, 7 ss.). Libere ergo Iesus hoc sibi assumpsit, licet ex immensa caritate, qua libenter et Patris gloriam et fratrum salutem operabatur. Et hoc voluit certe ut beneplacitum Patris; et vix intelligimus fieri posse ut perfectissima caritas posset non velle quod ab initio notum fuit ut placitum Deo. Tamen neque ullus ostenderit veri nominis necessitatem in eo esse, quo sine et absolutum Bonum et perfectissima unio cum ipso Bono infinito eodem prorsus modo quidquid fieret servata fuissent; si qua vero necessitas ex perfectione caritatis manet, meritum inde augeri, nequaquam minui, contendimus. Vidit itaque Dñus Iesus ab initio humanae vitae ordinem divinae praedestinationis, luenda hominum peccata, et honorem Patris restituendum, et salutem animarum: vidit et ex

inspirata sibi caritate id in se libere suscepit. Novit simul non aliud a Patre efficaciter acceptari ad illum finem obtinendum quam sacrificium vitae et mortem in cruce. Huic praecepto, quo sine, finis propositus non obtineretur, paruit Dñus Iesus.

Ergo dicent, contingens fuit opus salutis humanae. Scilicet per voluntatem liberam ideoque contingentem infallibiliter nostram redemptionem disposuit Deus, verum est; scilicet opus Dei potuit deficere, falsum est. Sunt enim actus quoque liberi creaturae infallibiliter a Deo dispositi, non secus ac motus naturae maxime necessarii. Non ideo deficit providentia vel praedestinatio divina. Libere Deus voluit redemptionem nostram. Ad hoc disposuit ut eam in se libere susciperet Verbum incarnatum creata caritate et libera electione. Immo disposuit ut idem opus in ordine exequutionis ab alia quoque libera electione penderet; nempe ab acceptatione Virginis, quae, post deliberationem et consilium, libere Angelo nuntianti respondit: *Fiat mihi secundum verbum tuum*. Cum enim esset Incarnatio connubium quoddam Divinitatis cum Humanitate, vel Dei cum universo creato, oportuit ut consensus esset ex parte humanitatis vel creaturae: idque fecit pro universis creaturis Virgo sanctissima. Non ideo timendum. Infallibiliter, etsi plena cum libertate, eum consensum sub divina praedestinatione, Maria Virgo erat praestitura; quo factum est ut tamquam causae secundae illi nos tantum beneficium acceptum tribuere debeamus. Tres voluntates liberae in hoc opus consenserunt. Prima, a qua ceterae pendent, fuit voluntas aeterna Dei. Altera, ut causa secunda, proportionem tamen habens cum effectu, fuit voluntas humana Christi. Tertia, ut instrumentum a Deo motum et evectum ad altiorem se effectum producendum, libere tamen, fuit voluntas Virginis. Evenerunt omnia sub infallibili Dei praedestinatione.

VII. — De Christo Redemptore.

70. Non timebis sane recentes veritatis osores, qui modernistae audiunt, et negant cogitasse quidquam Dominum Iesum de humani generis redemptione. Hanc nimirum aiunt primo Paulum excogitasse et Ecclesiae credendam tradidisse: ab eodem vero accepisse doctrinam qui de salute nostra Christi passionem subsequuta in Evangeliis aliquid scripserunt. Scripsit praesertim Lucas, Pauli discipulus et comes; scripsit auctor quarti Evangelii, sed multo ille post tempore, medio secundo saeculo, cum doctrina Pauli fidelium mentes pridem occupasset. Haec illi, contra ius omne; arte critica usi, quae a priori res historicas tractat atque absurda praeiudicia tamquam principia ponit: fidem e conscientia exsurgere, paulatim dogmata evoluta, supranaturale ad historiam non pertinere. Ea nos nulli innixa rationi despicimus; ac certe magnae stultitiae speciem nobis praebent qui dicunt non potuisse piscatorem semitam, cuiusmodi Ioannes fuit, sublime illud scribere de Verbo, quod vix noverant graeci sapientes: nam, ceteris omissis, piscator ille Spiritum Sanctum, quem graeci nescivere, accepit; — vel qui dicunt non potuisse Iesum, ut synoptici referunt loquutum, etiam loqui prouti refert quartum Evangelium, nam aliter Dominus in Galilaea moralem legem enunciando, aliter in Iudaea ubi se Filium Dei manifestavit (Galilaei vero regem conclamassent, Iudaei lapides sustulerunt), utique loqui et potuit et voluit; — vel qui aiunt in quarto Evangelio omnia esse symbolica; hoc enim non excluditur, immo supponitur veritas literae. Sed haec apologetis dimittimus, et qui theologos agimus Ecclesiae doctrinam ut in tuto positam ac fide certam asserimus, utrumque Testamentum ut verbum Dei accipientes, ne semper discere et numquam didicisse videamur. — Nulli ergo fas est in dubium revocare quod in perpe-

tua fide positum fuit, venisse Dñum Iesum *peccatores salvos facere;* venit etiam *dare animam suam redemptionem pro multis.* Hoc ab initio protoevangelii, Gen. III., implicite enunciatum fuit; hoc in figuris et prophetiis praemonstratum, praesertim et evidentissime c. LIII Isaiae, quod ad Christum referri et ex textu ipso et ex allegationibus Novi T. (Act. Ap. VIII et alibi) omnino patet.

71. Queruntur recentiores pauca in hanc rem apud Patres inveniri. Non inveniri assertiones perspicuas et certas, falsum est: hoc porro sufficit ad testimonium fidei totius Ecclesiae, quae ceteroquin ex disertissima expositione in epistolis paulinis tradita satis superque manifesta est. Quid enim clarius quam quod habetur cap. V ad Rom. de communi peccato ac de iustificatione per Christum; tum quod dicitur: *reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius* (10) et: *sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem iusti constituentur multi* (19)? Et Ioannis dictum auditum fuit: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.* Veritas ergo fuit explicite notissima; sed ideo Patres non illam fuse exposuerunt, quia illam nemo impugnabat, et alio opere defendendi contra multiformes haereses Verbi Incarnationem distinebantur. Praecipui laboris in scribendo occasionem adversi errores semper praebuerunt. Fidei tamen aperta professio vel ab initio in Patrum scriptis non desideratur. Ignatius martyr ad Romanos scribit eum se quaerere qui pro nobis mortuus est, et ad Smyrnenses nominat carnem Christi quae pro peccatis nostris passa est, aliaque habet eiusmodi plura (MG. 5,685 ss. 707 ss.). Item s. Clemens (ad Cor. XXI, 6) sanguinem Iesu Christi ait fusum esse pro nobis. (MG. 1,256). Item s. Polycarpus (ad Philipp.) Iesum ait peccata nostra tulisse in suo corpore, et pro nobis passum ut in eo vitam haberemus (MG. 5,1005 s.). Item auctor epistolae quae Barnabae tribuitur causam ponit dolorum Christi in nobis, et Isaac allato exemplo, suum corpus ait in sacrificium obtulisse pro peccatis nostris (MG. 2, 727 ss.). Quae sunt specimina loquutionum a vetustissimis illis adhibitarum; quaeque deinde amplius declaratae leguntur. Priores scilicet affirmarunt

solummodo Christum pro nobis et pro salute nostra et pro peccatis nostris esse mortuum: posteriores expiationis et satisfactionis vicariae et redemptionis a captivitate daemonis notiones exposuerunt. S. Iustinus ait iudaeos pariter et gentiles maledictionem meruisse: hanc in se pro illis Iesum accepisse: quo respondet Tryphoni obiicienti maledictum esse quod pendet in ligno (Dial. cum Tryph. c. 95; MG. 6, 701). Plenius s. Irenaeus haec evolvit (adv. haer. l. V; MG. 7, 119 ss.) et opus Domini Nostri peccato primorum parentum distinctim opponit; quae contra docetas et gnosticos strenue vindicat. Habet his gemina s. Hippolytus. Deinde scriptores alexandrini multi fuerunt in salute nostra deducenda ex ipsa incarnatione Verbi, qua lucem veritatis agnovimus; non ita tamen ut et expiationem non memorarent; quod apud Clementem Alex. et melius apud Origenem legere possumus. A s. Athanasio habemus, quod sicut non a peccato et maledicto liberi essemus, si caro quam Verbum assumpsit humana caro non fuisset, ita non esset deificatus homo, si qui carnem assumpsit non esset Verbum Patris (Orat. II, 70; MG. 26, 296 ss.). Verbum, ait, corpus sumpsit ut pro nobis posset mori; aliaque id genus multa. In primis huc tendit ut veram Christi divinitatem, et certam Verbi Incarnationem in tuto ponat (id enim tempora postulabant); sed ab omnibus receptum putat Iesum pro nobis passum et mortuum esse. Eodem pacto Greg. Nyssenus ratiocinatur, qui etiam quaerit an potuisset Deus alia via nostram salutem operari. Nec iam dubia esse potest Ecclesiae docrina quarto saeculo, quo in symbolo fidei explicite positum est: *Qui propter nos homines* etc. Et: *crucifixus etiam pro nobis.* — Omnino igitur frustra sunt recentes rationalistae, qui hoc quoque dogma paulatim confictum et non ab exordiis traditum contendunt. Serius utique doctrina theologica evoluta est, eiusque primi auctores Cyrillus, Gregorius Nyss., Athanasius, deinde Augustinus fuerunt: sed dogma primum in Evangelio explicite continetur, illudque Apostoli fidelibus tradiderunt.

72. — *De fide igitur est Iesum Christum auctorem esse nostrae salutis, et propter hanc de coelo venisse.* Theologis tamen,

consequenter ad illam veritatem, quaestiunculae quaedam obortae sunt.

Primo: *An fieri potuerit ut humanum genus post Adae peccatum Deus relinqueret in sua damnatione, nullo allato remedio.* — Duplici autem modo id potest intelligi: vel ita ut homo constitueretur in materiali conditione purae naturae; vel ita ut maneret in privatione et peccato, sine auxiliis supernaturalibus et sine illis quae in statu naturae concessa fuissent. Negamus in necessitate cunctos homines potuisse constitui aeternae damnationis in inferno igne incurrendae, quod secundo modo accepta hypothesis nullius redemptionis inferret. Et si iustum id videretur s. Augustino, peccati originalis dogma propugnanti (De nat. et gr. c. V; ML, 44, 248 s.), ideoque infantes sine baptismo cum daemonibus perdenti, vix putamus cum divina bonitate tam diram sortem omnium qui nascuntur posse componi. Cum s. Thoma tenemus culpa primorum parentum id solum amissum fuisse, tum in hac vita tum in futura, quod fuerat naturae superadditum. Ergo etsi *formaliter* in privatione atque in damnatione humanum genus mansisset, *materialiter* tamen in naturali conditione, ni Deus salutem attulisset, manere debuisset, quod prior modus ferebat. Ita igitur Deus homines naturalibus auxiliis fovisset, ut naturae legem servare et naturae perfectionem assequi moraliter potuissent. — At sic relinqui humanum genus in communi reatu noxae a parente Adam commissae, poterat ne pati Deus? Utique poterat: hoc enim sequebatur comminationem protoparenti pro ipso suaque progenie factam; quae comminatio sane iniusta non fuit. In hoc ergo recta fuit s. Augustini sententia. Contra, non videtur prorsus recta mens s. Anselmi, qui in opere *Cur Deus homo?* (ML. 158, 361 ss.) omnimodam reparationis necessitatem urget, veluti si rationes convenientiae absurdum redderent oppositum, et necessaria fuisset divina voluntas restituendi per homines sedes in coelo ab angelis amissas. At communis est sententia, magnam in hoc convenientiam fuisse, minime necessitatem. Magna fuit convenientia; primo, quia non decebat universum opus a Deo intentum ducendi homines in finem superna-

turalem, proprio eorum modo a modo angelorum diverso, pessumdaretur; secundo, quia liberum hominis arbitrium, secus ac angelicum, intellectum a sensibus pendentem ac propterea in opposita viam habentem ideoque mutabilem, proportione ac modo sequens, in diversa, etiam post electionem flecti potest: postulat ergo natura sua ut quod voluit malum nolle possit, et ad hoc, dum haec vita vivitur, per gratiam moveri et adiuvari queat; tertio, quia durum, etsi non iniustum, videbatur, quod omnes unius actuali culpa perirent. — Admodum ergo conveniens fuit divinaeque bonitati congruum, ut post lapsum venia et salus humano generi iterum daretur. Non fuit necessarium, quia conditioni ab initio enunciatae Deus stare poterat; et, post amissam gratiam, pro naturae modo hominibus providere. Privatio fuisset donorum ab initio datorum, ex culpa totius familiae in suo capite inducta; habuissent singuli quod personae humanae debetur, usum rationis, libertatem, auxilia quae sufficerent ad servandam legem.

73. Altera quaestiuncula est: *Utrum potuisset Deus peccatum dimittere ex pura misericordia, quin ullam satisfactionem, vel quin sufficientem, exigeret.* — Negant aliqui, considerantes necessario iustitiae infinitae esse suas partes tribuendas. Negavit imprimis s. Anselmus, assumens non posse Deum agere contra iustitiam, et contendens iniustum esse quod peccatum sine satisfactione dimittatur, vel maneat impunitus peccator, vel eodem gradu habeatur qui peccavit et qui non peccavit. Haec praesertim disserit in op. cit l. I c. XII; (ML. 158, 377 s.). — Atqui opposita mens est Patrum, sine dubitatione ponentium potuisse Deum solo dicto solvere maledictionem, sicut solo dicto universum condidit. Ita (ut videre est apud Petavium, De Incarn. II, 13) Greg. Naz. (orat. IX) post s. Athanasium (orat. III c. Ar.), deinde Theodoretus (serm. 6 c. Graecos) et Io. Damascenus (de fide l. III, c. 18): item s. Aug. (de Trin. l. XIII, c. X), Gregorius M. (Mor. l. XX, c. 26). — Quod si contrariae videntur aliorum sententiae, ut Irenaei (adv. haer. l. III, 18; MG. 7, 932 s) et Procli (orat. in B. V. in eph. syn.; MG. 65, 680 ss.); hypotheticae hae sunt omnino, neces-

sitatem asserentes Incarnationis, si positive suae iustitiae Deus factum voluit satis; nequaquam absolutae, ac si Deus aliter velle non potuisset. Verum non hic quaerimus utrum potuerit homo per se Deo satis facere, quod fieri non posse novimus; quaerimus autem utrum sine iusta pro peccato satisfactione culpam dimettere potuisset Deus. Et ad hoc respondemus affirmative. Non enim necessarium est ut iniuriae sibi illatae reparationem Deus exigat; et omnino aliud est quod contra iustitiam aliquid Ille patiatur, aliud vero quod de iustitiae iuribus aliquid remittat: quae duo confundere videtur Anselmus. Multo melius utique Deus et iustitiae et misericordiae simul plene satis facere voluit per incarnationem; at non fuit necessarium. Potest enim qui laeditur acceptam offensam dimittere; potest praesertim Deus, qui unice peccato offenditur, ut qui est Bonum in se infinitum nulli quidquam debens, neque universalem ordinem tamquam legem aliquam a se servandam respiciens: Ipse nimirum est omne bonum, et est bonum ipsius universi. — Si voluit ergo, potuit peccatori contritionem infundere et gratiam et iterum in amicum recipere; neque iniuste peccatum, cuius auctorem poeniteret, sine poena maneret; nec iam peccator sed iterum iustus iustis connumeraretur.

74. Tertia quaestio est: *Utrum aliter quam per Deum incarnatum iustitiae post peccatum satis fieri potuisset.* Et certa est responsio negativa, de qua optime Emus Billot th. II. — Et manifeste patet non alio modo rationes iustitiae simul et misericordiae tam plene servari potuisse: ut et adaequata esset satisfactio pro peccato ex infinitate meritorum Christi, et venia nobis daretur cum superabundanti amissorum bonorum restitutione et cum hoc quod non omnino gratis debitum est solutum, sed ita ut pretium redemptionis, utique a Deo per Iesum Christum nobis datum, ipsi Deo solvere valeamus. *Iustitia et pax osculatae sunt.*

75. Est deinde alia disputatio: *Utrum si Adam non peccasset, Verbum esset venturum.* De quo iterum optime et plene Emus B. th. III. Attende vero cuncta argumenta quibus vellet quivis Incarnationis certam existentiam in omni hypo-

thesi asserere ex pulchritudine et ex perfectione ipsius operis, laborare falso supposito, posse allici ullo modo divinam Voluntatem pulchritudine cuiuscumque operis, vel esse a priori rationem cur Deus hanc vel illam mensuram suae gloriae extra se velle debeat, vel in illam inclinetur. Nihil tale est cogitandum; sed quia Bonitas divina, quae immutata prorsus in se manet, improportionabiliter excedit quamlibet possibilem sui communicationem, nulla ratione trahitur ad hanc vel illam eligendam; liberrime eligit quam vult. — Eam obiectionem proponit hic s. Th. art. III secundo loco, ubi ratio adducitur, debere in effectu Dei apparere infinitatem, quam nullibi sicut in Incarnatione cernere est. Respondet, infiniti Dei effectum debere quodammodo infinitatem habere in virtute infinita a qua per creationem postulat procedere; non autem in ulla mensura entitatis ipsius quae producitur. Porro vel minimi entis creatio, quippe quae nullam proportionem potentiae subiectivae ad actum supponit, et quae sub ratione entis quae sine limite extenditur effectum attingit, ad arguendam in Creatore infinitam virtutem, omnino sufficit. — Occasionem etiam arripe notandi apud s. Th. solutionem difficultatis, quae elevationem creaturae ad ordinem supernaturalem universim attingit. Obiicitur nempe eodem loco fuisse naturam capacem participandi divinum *Esse* per Incarnationem; non igitur decuisse ut eiusmodi capacitatem vacuam relinqueret Deus. Respondet Angelicus non opus esse ut potentiam mere obedientialem divina Virtus adimpleat, quum et illa sine privatione in se maneat, et repugnet capacitatem omnem expleri, quia nullus est finis eorum quae Deus facere potest. Atqui idem valet, si natura comparetur ad gratiam, et creatus quilibet intellectus ad visionem Dei. Satis autem est *ad perfectionem universi quod naturali modo creatura ordinetur in Deum sicut in finem* (art. III ad 2[m]).

76. Quinto: Quum Incarnatio reipsa facta sit, et primas in universo Christus ferat, dubium facile exsurgit: *Utrum exclusive sit tenendum, quod utique affirmat fides, in remedium peccati Verbum advenisse; vel potius futurum fuisset hoc maximum opus Dei, etiamsi homines non peccassent.* Suspicantur

enim non pauci, utique in exequutione venisse Christum ut Redemptorem ; sed, a modo et possibilitate abstraendo, fuisse Incarnationem in prima Dei intentione qua universum condidit ; ita ut iam in primo opere creationis, peccatum omne antecedente, unice ad Christum ut ad Caput et ad Regem et ad causam bonorum ceteris tribuendorum omnia referrentur; deinde, quo maior esset Illius gloria ac divina Bonitas magis eluceret, dispositus fuisset adventus Iesu tamquam Salvatoris ab extrema miseria : ideo permissum peccatum et casum totius humani generis et promissum Salvatorem qui ceteroquin, diverso utique aspectu, omnino advenire debuisset. — Contra hoc, praeter multa quae Thomistae et Emus Billot rite afferunt, vix nobis apparet servari veritas divinorum verborum, quibus perpetuo non modus passionis at simpliciter adventus Domini in salutem nostram et in peccati reparationem enunciatur, si absque hac indigentia nostra Dominus certe fuisset adventurus. Quamobrem dicimus, non solum tenendum esse Incarnationem propter nostram salutem fuisse decretam, quia hoc tantum revelatio nos docet, neque aliud de liberis Dei decretis scire licet quam quod Ipse dicere dignatus est ; verum etiam quia in adversariorum hypothesi non simpliciter illud asseri debuit, quod tamen divinitus assertum est, propter nos Christum descendisse de coelis et hominem factum, non tantum esse passum et crucifixum — Nihil autem est quod oggerunt, Christum esse primogenitum omnis creaturae et super Angelos primatum obtinere : quia, utrumque ad humanitatem referendo, primae partes illi utique tribui debuerunt, et quum in aeternitate statuerit Deus Verbi cum creata natura coniunctionem, illi consequenter pro maxima dignitate verticem rerum ut proprium locum assignavit. — Nihil etiam sunt omnia argumenta, quibus a priori quis contenderet tam magnum et tam gloriosum opus debuisse imprimis a Deo decerni, ac si quidquam concipi queat, quo divina Voluntas utcumque alliciatur. Omnino hoc falsum est, quia prorsus immutata manet, quidquid fiat, divina Bonitas ; quae proinde liberrime eligit, sine ullo influxu causae finalis a quolibet possibili opere, quod illi placet ; ipsaque Incarnatio, quae in infi

nitum assumptam naturam extollit, non nisi relationis ponit in Deitate.

77. Difficultas quae subtiliorem aliquam considerationem exquirit, ex ordine praedestinationis accipitur ; prout nimirum electio eorum qui cum Christo sunt in coelo regnaturi prima fuisse dicitur in divina intentione ; deinde omnia ad illum finem assequendum fuisse divinitus praeordinata : Christus proinde primus absolute fuit in divino decreto, ut caput electorum, et absoluta fuit voluntas Incarnationis. — Ad huius argumenti solutionem, intelligere oportet quo pacto electio praedestinatorum caeteras partes universi antecedere debuerit. Non enim opus est praedestinationem accipere ut voluntatem absolutam, eventusque omnes antecedentem, perducendi in vitam aeternam eos qui reipsa hanc assequuntur. Id enimvero si prorsus ab initio statutum poni deberet, negandum esset in ordine divinae Providentiae Christum ut Redemptorem caput esse praedestinatorum nisi prout executive res ita processit ; esset autem simpliciter caput Christus ut Verbum incarnatum ante omnia praestitutum, nec praedestinatio penderet a meritis Salvatoris, de quibus eodem pacto esset loquendum sicut loquuntur de meritis singulorum qui negant ab his pendere praedestinationem. At in executione tantum, ut salus certe pendet ab uniuscuiusque dispositione, ita et a meritis Christi crucifixi. Contra haec, tenemus electos fuisse qui sunt electi consequenter ad redemptionem, ac dicimus nullam fuisse efficacem praedestinationem, quae salutem per Salvatorem obtinendam et lapsus praevisionem antecederet. Hic ergo rerum a Deo volitarum, non certe Dei volitionum, ordo fuit. Fuit primo voluntas antecedens et universalis dirigendi homines ad vitam aeternam : atque hoc e primaria Dei intentione perfici debuit, secundum ea quae novimus de conditione iustitiae originalis. Nulla tamen in ea conditione, quae ab initio lapsura noscebatur, veri nominis praedestinatio fuit, quia nullus eo modo ad coelum pervenit. Praevisus, neque impeditus lapsus fuit ; post quem, et alii nascituri fuerunt quam qui in primo stato fuissent, et salus disposita est per Christum Dominum, quoad virtutem omnibus oblata, quoad efficacem eventum,

iis qui salvi fiunt destinata, non aliter certe quam propter merita et in gloriam Redemptoris. Quocirca in hoc novo ordine consequente praevisionem peccati, Christus caput est electorum; quod vero spectet ad primum, antecedentem peccato, negandum est suppositum ullam fuisse praedestinationem. Posito igitur syllogismo : Praedestinatio antecedit omnem eventum et ipsum peccatum Adami ; atqui praedestinatio includit decretum Incarnationis, quum Christus sit electorum caput ; ergo decretum Incarnationis antecedit peccatum ; respondemus : Dist. mai. : Praedestinatio, ut spectatur in ipso Deo, tamquam causa prima totius rerum ordinis, concedo ; ut spectatur in rebus volitis et inter se ordinatis, subdist. : si praedestinatio dicitur voluntas antecedens et universalis destinandi homines ad vitam aeternam, conc. ; si dicitur decretum consequens et efficax eos salvandi qui salvantur, nego. Ad min., contradist. : praedestinatio includit decretum Incarnationis, prout illa est revera voluntas efficax eripiendi a casu Adae et salvandi per merita Christi multos ex iis qui per Adam peccaverunt, conc.; si consideratur ut voluntas quaedam antecedens omnem eventum historicum et efficacem electionem cuiuscumque, nego.

78. Obiectiones quaedam repeti possunt ex eo quod perversus in nostra sententia ordo videtur excellentissimi operis Dei et reliquorum. Dicunt nimirum adversarii :

Divina praedestinatio antecedit omnem eventum, ipsumque Adae peccatum. Atqui in praedestinatis primus aliorumque caput Christus est. Ergo Christi praedestinatio peccatum ipsum Adae praevertit. — Resp. : dist. mai. : Praedestinatio accepta ut est in mente Dei, prima causa omnium rerum et salutis electorum, quin adhuc ordinem quo salvabuntur determinat, illa antecedit omnes eventus, ipsumque Adae peccatum, conc. ; accepta ut assignans ordinem determinatum, quo reipsa electi salvantur, nego. — Contradist. min. : Primus et caput praedestinatorum est Christus, prouti reipsa determinatus est ordo obtinendae salutis, et est efficax decretum consequens praevisionem lapsus communis, conc. ; prouti fingeretur aliqua praedestinatio praevisionem illam antecedens, nego. Etenim negandum

est suppositum fuisse revera ullam praedestinationem, quae conditionem primae integritatis respiceret, vel quae, ante praevisum lapsum et consequentem redemptionem, ullius salutem decerneret. Tantum scimus opus Dei modo illo perfecto inchoatum fuisse, sicuti cuique baptismum recipienti aeterna gloria per illam priorem gratiam assequenda promittitur, nisi in gravem culpam labatur. Si vero is labitur, eumque dein poenitet, totus simul hic ordo primae gratiae et peccati et poenitentiae praedestinatione continetur. Ita genus humanum per reparationem peccati ad salutem efficaciter destinatum fuit, et in hoc ordine, quo reipsa universum regitur, caput praedestinatorum Christus est. Quae quum ita sint, assertum illud, quod Christus est caput praedestinatorum, sic distinguere possumus : Ut redemptor, consequenter ad praevisionem lapsus, concedo ; antecedenter ad lapsum praevisum, nego suppositum ullam fuisse praedestinationem ; eo magis quod neque iidem in individuo homines sine peccato essent exstituri.

Atqui fuit praedestinatio peccati praevisionem praecedens, et probatur sic : Voluntas finis praecedit voluntatem eorum quae sunt ad finem. Atqui praedestinatio est voluntas gloriae huic vel illi tribuendae, imprimis Christo, ut finis ultimo obtinendi; reliqua vero in creatis contingentia media sunt ad eam gloriam assequendam. Ergo primo destinatus est Christus, deinde reliqua, omnia ita ut in gloriam illius redundarent. — Seposito errore, quo poneretur ordo ullus in ipsa Dei volitione ac si Deus vellet unum quia vult aliud, et non unico actu unum velit ordinatum ad aliud, sed ponendo ordinem dumtaxat in rebus volitis ; dist. mai. : Voluntas finis absolute intenti omninoque ultimi praecedit voluntatem reliquorum omnium ad eum finem ordinatorum, conc. ; voluntas finis non absolute voliti, sed qui intenditur hoc modo obtinendus et sub hac conditione, nego : tunc enim ipse finis pendet etiam in intentione a praevisione vel dispositione conditionis et modi. Ad min. : gloria tribuenda praesertim Christo est finis absolute intentus omninoque ultimus, nego ; hoc modo et sub hac conditione assequendus, ut esset in remedium peccati et post perditam primam ordinationem

universi ante peccatum, concedo. Finis absolute ultimus fuit communicatio divinae Bonitatis : ad illam totum hoc universum, quale est, ordinatum fuit. Quamobrem secundum voluntatem Dei primam et antecedentem, sed non usque ad exitum efficacem, perducendi fuerunt homines ad visionem beatificam in statu iustitiae originalis ; secundum efficacem, et consequentem, fuit praedestinatio Christi et eorum qui per Ipsum salvi fiunt.

Subsumunt : Atqui non potuit sic decerni Christus, consequenter tantum ad lapsum. Inconvenienter enim maius ordinatur ad minus. Atqui in ea sententia Christus ordinaretur ad salutem nostram, maius quid ad minus. Ergo non potuit sic decerni Incarnatio. — Dist. mai. : inconvenienter maius ordinatur ad minus ut simplex medium et ut ad finem adaequatum, conc.; ut ad finem immediatum alii subordinatum, et non ut simplex medium, verum ut causa praecedens, nego. — Contradist. min. — Etenim finis est divina Bonitas sic manifestanda ; nempe per infinitam misericordiam iustitiae iunctam, qua ab extrema miseria homines liberantur ac Deus maxime glorificatur. Porro huius boni pars praecellens et causa Christus est, in remedium peccati decretus ac missus. Non igitur ipse ordinatur ad salutem ut ad finem adaequatum, sed ut ad opus per eum perficiendum, quo maxime appareat divina Bonitas. In hoc vero nullum est inconveniens.

Hoc adhuc restat, quod videtur aliquid *occasionatum*. — Scilicet quasi praeter intentionem et tantum propter aliud fieret, nego ; prouti decretum est, accepta occasione ab alio, tamquam aliquod magnum bonum, cuius per ordinem hunc magis etiam apparet divina Bonitas, concedo.

Atqui nullo modo videtur salus hominum esse posse finis Incarnationis. Nullo enim pacto aliquid finis est alicuius quod ab illo pendet tamquam a causa et fine proprio. Atqui salus hominum pendet a Verbo Incarnato tamquam a fine et causa : nam propter merita Christi salvi fiunt quotquot salvi fiunt. Ergo nullo modo haec salvatio finis est Incarnationis. — Resp. : conc. mai. formaliter acceptam, scilicet bene determinando id quod finis est et quod ad finem. Porro min. dist. : Propter Christum

ut causam (meritoriam et modis aliis efficientem), et finem ut glorificandum, est salus quae reipsa obtinetur singulorum qui salvantur conc. ; fuit etiam voluntas universalis et antecedens redimendi humanum genus post peccatum Adae per Incarnationem, nego. Non enim propter merita Christi statuta fuit Incarnatio ; sed gratis Deus homines per hanc viam salvare statuit ; consequenter decretum est ut esset Christus ac per Ipsum gratiae particulares omnes distribuerentur.

Obiiciunt iterum : Si decretum Incarnationis peccati praevisionem sequitur, Christus peccatoribus suae exsistentiae debitor est, iisque gratias aget ; quod absonum est. — Utique est absonum ; sed non sequitur ; quia causa tanti boni fuit unice infinita Bonitas, quae ex permisso malo, tamquam ex occasione maximae suae manifestationis modum accepit.

At videretur inde sequi peccata quoque actualia ante Incarnationem, quae in eorum remedium est, fuisse praevisa ; quod tamen admitti nequit, quum multa singulorum peccata in Christum ipsum excerceantur, eumdemque supponant. — Respondemus praevisa fuisse, ut antecedentia decretum Incarnationis, globatim tantum et radicaliter inclusa in lapsu communi, non distinctim ut historice committuntur et hanc humanitatis conditionem subsequuntur. Neque enim eodem modo in eorum remedium quo in remedium lapsus universalis, redemptio decreta est ; neque hanc scimus decernendam fuisse, si tantum singularia peccata, et non communis casus, futura fuissent. At Redemptore dato pro omnium casu, ad omnia mala casum hunc sequutura, et ad singulorum peccata, virtus Redemptoris ipsius extensa est.

Videtur ante peccatum certus numerus electorum, quibus lapsorum angelorum sedes occupantur. — Transeat hypothesis haec salvandos esse homines ut angelis peccatoribus sufficiantur : B. Virgo certe locum tenet etiam angelis qui stetissent superiorem. Sed ea data, dicimus voluisse Deum homines in coelum adducere : voluntate quidem antecedente et conditionata sine ope Redemptoris ; praedestinatione efficaci per Re-

demptorem. Nihil autem officit contingentia rerum infallibili Providentiae.

1) — *De data a Christo satisfactione.*

79. Haec in hac tota disputatione de reparatione peccati sunt probe intelligenda. Non agi praesertim de restituenda recta voluntate quae peccando perversa fuit, vel de acquirenda iterum gratia per peccatum amissa, vel denique de eliciendo actu tam bono in Dei dilectione quam mala fuit aversio a Deo. Nihil tale fieri potest, si Deus conferat gratiam et voluntatem moveat. Sed ut Ille omnino gratuito tantum donum confert creaturae, ita non repugnat ut ex infinita misericordia peccatori etiam conferat. Quod si faciat, iterum erit bona voluntas et anima sancta, ad vitam aeternam intrinsece ordinata. Per haec tamen non iustitiae factum est satis, quae exigit ut tantum honoris Deo reddatur quantum dehonorationis fuit in peccato, contra Deum, Bonum incommutabile et Legislatorem et ineffabili amore creaturam prosequentem, iniuriosissime admisso. Quia vero honor mensuram habet ab honorante, et tanti est quanti aestimari debet quod creatura Creatori subiiciatur (quod profecto nec mirum nec magnum est); dehonoratio vel iniuria mensuram accipit a Deo, cuius est infinita maiestas et ius infinitum ad creaturae subiectionem et ad hoc ut tamquam finis ultimus et bonum omne appetatur; manifestum fit non posse per hominem malum illud reparari vel fieri satis pro peccato. Dicitur non posse satisfactio fieri per hominem peccatorem, quia eius actus utpote gratia destitutus cum gratiae reiectione nullam proportionem habet: est autem sine gratia quamdiu Deus iam placatus illi eam non confert. Nec potest per hominem iustum, cuius actus, ante positivam ordinationem quam ex sua bonitate faciat Deus, minime valet pro alio. Et si ordinatio ponatur, manet quae declarata est improportio, non in actuum entitate, sed certe in ratione honoris ac dehonorationis, satisfactionis et iniuriae. Quo tamen non negamus potuisse Deum, ut peccatum integre dimittere, sic quamcumque satisfactionem, con-

grua quadam ratione datam, ratam habere. Integram voluit. Ideo fecit ut Filius suus semetipsum exinaniret, creatam naturam assumens. In hac, ex dignitate personae infinita, quilibet honor Deo datus ad reparandam iniuriam peccatorum omnium, satis esse potuisset At ut res congruentius fieret, voluit Deus ut natura assumpta eadem esset quae in nobis peccatrix est, in qua etiam caro habetur mortis capax; voluit ut ad familiam nostram pertineret et magis sic esset unus ex nobis. Quibus positis eius actiones et passiones Deus ad nostram salutem ordinavit; ita ut Christus poenam nobis debitam in se susciperet, et ita pro iniuria Deo illata satisfaceret, et gratias nobis conferendas ut vitam aeternam consequamur, ipsamque aeternam vitam Ille nobis mereretur. Christus igitur, debito in se accepto quo nos erga Deum obstringebamur, obtulit Patri passionem suam pro peccatis nostris, seu pro nobis vicariam satisfactionem; vicariam, inquam, quatenus poenas Ille sustulit nobis luendas. Frustra tamen nos passi essemus, utpote satis faciendi et patiendi pro merito incapaces; efficaciter Ille, quem vadem pro nobis posuit Pater, et qui dignitate personae, se in humanitate demittentis et patientis, infinitum honorem Deo reddidit.

80. Opus idem satisfaciendi pro nobis Redemptionis etiam nomine designatum fuit; analogia ducta a mancipiis in servitutem adactis, ac pretio soluto in libertatem vindicatis. Vere enim per peccatum libertatem amisimus, et per Christum in pristinam filiorum dignitatem restituti fuimus. Pretium fuit sanguis Christi, secundum illud: *Empti estis pretio magno, sanguine quasi agni immaculati:* et illud de Ecclesia *quam acquisivit sanguine suo.* Pretium hoc revera solutum fuit Deo, ut peccata dimittendo, a vinculo reatus nos liberaret. Aliqui tamen inter veteres, considerantes Satanam humani generis victorem, et genus idem in servitutem daemonis redactum, mente sunt confusi et ultra limites analogiam urgentes eo devenerunt ut dicerent pretium esse solvendum ipsi Satanae, quo iuri in nos acquisito renunciaret seu nos dimitteret. Hoc Origenes pluries affirmavit et non timuit dicere Dñum Iesum diabolo emptori generis humani suum Sanguinem dedisse et vitam, non Deo.

sed animarum nostrarum detentori, obtulisse, quo nos ut libertos redimeret. Dure etiam idem scripsit s. Gregorius Nyssenus (Oratio catech. magna, 22-24 ; MG. 45, 60 ss.) et Latinos inter, romani iuris tenax s. Ambrosius, qui tamen non sicut priores explicite asserit ipsi daemoni pretium fuisse datum : ceterum allegoriam illam nimis urget (epist. XLI, 7-8; in Lucam X, 66, etc. ; ML. 16, 1115 ; 15, 1820). Doctrinam et loquutionem s. Gregorius et s. Leo et s. Augustinus temperarunt ; optime s. Thomas ait in punitionem peccati iusto Dei iudicio potestati daemonis subditos nos fuisse, quin ullum daemonis ipsius esset ius ; sacrificio Patri oblato effecisse Christum ut a servitute illa eximeremur. — Iniuste igitur Harnack (Hist. Dogm. II) aliique ex haereticis tribuunt Patribus universim, quod pretio Satanae dato redempti fuimus. Male huc referunt quod multi animadverterunt et recte, suis artibus daemonem captum fuisse ; et eo quod potestate quadam sibi in peccatores concessa contra Illum, qui nihil cum peccato et diabolo commune habebat, abusus est, iuste sua quacumque potestate privatus fuit. Hoc s. Io. Chrysost., hoc s. Cyrillus Alex., hoc Theodoretus, hoc deinde s. Augustinus et s. Leo aliique plures dixerunt : sed omnino aliud est a priori illo commento, et bene dici potuit, et sapienter factum est.

81. Contra legitimam doctrinam, qua asserimus constitutum fuisse Christum tamquam vadem pro genere humano, e quo unus esse voluit, eumque in se peccatorum nostrorum poenam recepisse, idque ut a Patre dispositum ita et Patri acceptum fuisse, ac dignitate patientis eo pacto infiniti valoris satisfactionem fuisse datam, ita tamen ut ad singulos e nobis per sacramenta, quibus mala voluntas non obsit, eiusdem satisfactionis fructus actu extendi debeat, nec nos a bonis operibus exercendis ideo eximamur ; multa oggerere satagunt, sed vix inveniunt haeretici quod cum aliqua veritatis specie dicant.

Dicunt nihil facere iusti passionem ad peccatoris iustificationem : frustra igitur inventam satisfactionem vicariam. Respondemus nihil facere ad veri nominis punitionem et ad emendationem, nisi aliunde mutandae voluntati delinquentis providea-

tur ; sed ad reparationem laesi honoris et ad satisfactionem pro peccato, non necessario neque independenter a voluntate illius qui laesus est, poenam innocentis valere ; utique autem valere, si innocens in se recipit et laesus acceptat poenam ab eo latam pro peccatore. Quod ut convenientius fieret, Christus e nostra familia ortum habere voluit, et carnem sumere in similitudinem carnis peccati.

Negant id recte factum ; iniuste enim aiunt innocentem plecti pro reo. At respondendum, iniuste fortasse id fieri si contra voluntatem innocentis : fortasse, inquam, eo quod dominio Dei absoluto omnia subduntur, et forte quis e caritate teneri posset (quod tamen pro Iesu Deo non admittimus) ; nullo modo iniustum esse si innocens sponte offertur, quod utique ex ineffabili caritate Iesus fecit : *dilexit enim me et tradidit semetipsum pro me* (Gal. II, 20).

Dicunt non ita dimitti hominum peccata, sed omnino gratis, secundum illud (ad Rom. III) : *gratis iustificati estis*. Atqui non gratis, si data satisfactione. — Resp. gratis erga nos, non gratis erga Christum, qui solvit. Erga nos utique, quia gratis est nobis datus Redemptor, et gratis accepta est nostro nomine satisfactio, et gratis infunditur nobis per gratiam voluntas qua Christo adhaeremus.

Atqui, aiunt, in Evangelio unum requiritur ad remissionem peccati, poenitentia et cordis contritio. Non ergo propter hoc satisfactione Christi opus est. — Respondeo unum illud requiri, ut in nobis necessario obtinendum, quo merita Christi in nobis fructum habeant ; non ita ut ea ipsa contritio sine redemptione obtineri possit. Eadem enim unice habetur per gratiam, quae per Christum nobis conceditur, neque iterum contritio, meritis Christi non unita, ad satisfaciendum valeret. Utique admittimus dari veniam si actus contritionis elicitur : sed quomodo eliceretur sine gratia ? Et quomodo gratia daretur nisi Christi merita obtinerent ? Quod si illam in alio ordine providentiae daret Deus, eo ipso ostenderet velle se veniam concedere ; verum id faceret quin satisfactionem, condignam saltem, exigeret. Denique Evangelium bene de officio nostro nos monet, et poe-

nitentibus veniam promittit; alibi tamen dicit per Christum nos omnia habere, Eumque pro nobis debitum persolvisse.

Totum opus Dei suis commentis pessumdant igitur haeretici, aientes esse Christum Salvatorem prouti ad vitam sanctam et ad opera poenitentiae exemplo nos excitavit, quemadmodum Adamum dicunt inobedientia ad peccatum nos induxisse. Uterque est error pessimus, quo ad captum omnium stultorum maxima Dei opera rediguntur. Iidem fortasse veritatis inimici, si ex alio capite Ecclesiae contradicere data occasione oportuerit, dicent etiam nihil nobis faciendum superesse, meruisse enim satis Christum, et iniuriam Illi fieri in bona opera enitendo, ac si Salvatoris merita non essent satis. Eodem fere pacto iniuriam Creatori inurimus quidpiam efficiendo, ac si divina virtus non ad omnia perficienda sufficeret. — At haec sunt deliramenta: utique enim Deus per se potest omnia facere, dat tamen et nobis in ordine causae secundae virtutem aliquam, et hanc nos exercere iubet: quo ipsam virtutem suam plenius ostendit, non solum esse sed et causalitatem conferendo. Similiter sufficiunt ad salutem omnium merita Christi, quibus unice salvi fiunt qui ope tantum sacramentorum sine actu proprio gratiam consequuntur; universim vero se habent ut causa universalis sub qua et causae particulares agunt, singuli nempe qui in ordine supernaturali operantur. Itaque, vel per sacramenta, vel per actus gratia formatos, virtutis Christi applicatio singulis fiat necesse est.

82. Hactenus contra protestantes. Supersunt obiectiones aliquae, non difficiles, quae fieri solent, quo exponendae doctrinae praebeatur occasio.

Satisfactioni a Christo datae obiicitur 1.°: Deus est infinite misericors. Atqui infinitae misericordiae repugnat satisfactionem exigere. Ergo. Respondeo posse primum retorqueri argumentum opponendo infinitam iustitiam; sed melius deinde dist. mai. misericors est et simul iustus, conc.; non etiam iustus, nego. Contradist. min.: Repugnat misericordiae non etiam iustae tr.: quae simul est iustitia, nego. — Immo et perfectior est mise-

ricordia quae simul providit ut non deesset iusta satisfactio, et quae hanc, quoad eius fieri potuit, nostram fecit.

2.° Ad Rom. III dicimur *iustificati gratis* Ergo sine Christi satisfactione. — Resp. gratis respectu nostri, non respectu Christi. — Et ita etiam *Deus nobis donavit* (ad Eph. IV), non tamen prorsus donavit Christo.

3.° Atqui nullo modo fuit gratuita donatio, si plene per Christum solutum est pretium: eodem enim pacto creditori fit satis, quisquis solvat. Ergo Deus nihil donavit. — Respondeo: nego assertum ac dist. rationem additam. Eodem pacto satisfit creditori, quisquis solvat, si agitur tantum de debito reali, seu de quadam restitutione, ideoque tantum quaeritur aequalitas rei, conc.; si agitur de debito personali ac de laesione honoris, nego. Praeterea manet integre gratuita donatio, quodcumque solvatur pretium, si hoc ipsum a creditore datur quod sit qui solvat. Est demum gratuitum omnino quod honor ab alio datus ita acceptatur, ac si debitor vel offensor illum dedisset.

4.° Sed contra, cum laesus ipse dat debitori unde solvat, gratuita penitus est remissio, neque ulla superest satisfactio. — Resp. relative ad debitorem cui datur unde solvat, conc.; relative ad sponsorem qui statuitur ut solvat, nego. Itaque a Christo satisfactio data est, non a nobis.

5.° Atqui si Christus pro nobis satisfecit, Ipsi, ut membra illius, satisfecimus: ergo nec nobis gratuita remissio. — Resp. satis fecimus praecise ut membra sub capite, ita ut solum Caput per se satis fecerit, conc.; seorsim spectati, et quasi aliquid addiderimus satisfactioni quam Ipse dedit, nego.

6.° Deuter. XXIV dicitur: *Non occidetur pater pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur.* Ergo, saltem in poena capitali, non potest esse sponsor unus pro alio. — Resp. auctoritate humana, conc.; divina, nego. Praeterea eiusmodi sunt adiuncta in nostra quaestione, quibus lex illa mutatur. Agitur enim de poena temporali libenter accepta pro morte aeterna peccatorum, qui ex illa poena a Christo lata iustificantur.

7.° Atqui Christus non tulit poenam nostris peccatis debitam, scilicet non tulit aeternam ; ergo non satisfecit. — Resp., superabundantem ex alio capite tulisse, nempe e dignitate Personae.

8.° Antequam Christus veniret, iam Deus erat placatus ; secus non misisset Filium suum. Ergo non fuit locus satisfactioni. — Respondeo, Deum ante Christum salutem voluisse humanae naturae simul sumptae, ita ut Salvatorem mitteret ; non autem voluisse peccatum dimittere absque satisfactione, neque ullum singularem hominem in amicitiam recipere. Ergo iam erat placatus ita ut causam salutis praeberet, conc. ; ita ut ad effectum ultimum immediate nos perduceret, nego.

9.° Si Christus abunde satisfecit, gratia et vita iam debentur ex iustitia, quod falsum est. — Resp. : debentur Christo, transeat ; debentur nobis subd. quasi operibus nostris independenter a meritis Christi eam promereamur, nego ; ex applicatione meritorum Christi per Sacramenta et bona opera, conc.

10.° Videmur fere debitores Christo magis quam Patri. — Nego, quia ipse Pater dedit nobis Christum qui pro nobis faceret satis.

83 Contra infinitam satisfactionem, quam dedit Christus pro peccatis nostris, haec praecipue obiiciuntur.

1.° Christus non ut Deus sed ut homo satisfecit. Atqui ut homo non infinitum suis actibus valorem dedit. Ergo — Resp. : Dist. mai. : Non ut Deus sed ut homo satisfecit, si reduplicetur principium *quo,* conc. ; si principium *quod,* nego. Scilicet principium quo passus est et meruit et satisfecit, fuit humanitas ; suppositum cui passio tribuitur, et quod est ratio ut valor meritorius vel satisfactorius actuum sit infinitus, divinum fuit.

Atqui, instant, Deus, ut principium *quod,* humiliationis incapax est. Ergo neque ut principium *quod,* satisfecit Deus. — Resp. : in Deitate, conc. ; in assumpta humanitate, nego.

2.° Actus, quibus Christus meruit vel satisfecit, sunt creati et proinde finitae aestimationis. — Resp. : in ordine entitativo, conc. sequelam ; in ordine dignitatis moralis, nego. Hanc di-

gnitatem accipiunt a divina Persona moraliter operationes humanitatis informante.

Atqui neque ex hac ratione accipiunt valorem infinitum, et probo : Magis valet in ipso Verbo Incarnato actus divinae voluntatis quam actus humanae. Atqui infinito non est maius. Ergo actus humanus non potuit habere infinitatem. — Resp. : Nego subs. ; ad prob. dist. mai. : magis valet actus divinus in ratione entis, conc. ; in ordine dignitatis moralis, attento Supposito cui tribui debet, nego. Contrad. min. : infinito simpliciter in ordine entis non datur maius, conc. ; infinito secundum considerationem particularem, repugnat dari quid maius, nego. Dist. cons. : actus Christi humanus non habet infinitatem simpliciter in ordine entis, conc. ; in ordine aestimationis ratione dicta, nego.

Atqui in ipsis humanis actibus Christi videtur esse magis et minus : nonne actus caritatis pluris est quam cuiuslibet virtutis, et passio quam actio quaelibet vitae ? Tamen infinito non est maius. — Resp. : dist. subsumptam : est actus alio maior in genere obiectivo et secundum formam moralem virtutis, conc. ; in ratione dignitatis a persona acceptae, nego Porro in hac ratione est infinitas.

3.° Eatenus infinita esset satisfactio, quatenus valor actus cresceret pro dignitate personae. Atqui neque hoc est verum ; non enim actus edendi et bibendi in rege dignior est quam in subdito. — Resp. negando paritatem ; quia diversitas accidentalis humanae personae non attingit actus illos qui prorsus sunt naturales, at solum illos qui respiciunt relationes in quibus est eadem diversitas. Edere et bibere idem ergo sunt regi et subdito ; at se demittere ex. gr. maius est in rege. In Christo autem diversitas personae essentialis est atque infinita, et cui per se nulla actio humana competeret. Ergo omnia ab eadem accipiunt infinitam dignitatem.

4.° Persona Verbi non influit in humanos actus, nisi mediante humanitate. Atqui per hanc non potest transmitti nisi finitus valor. Ergo. — Resp. : dist. mai. : Non influit nisi eo pacto quoad entitatem et modum operationis, conc. ; quoad mo-

ralem dignitatem, nego. Haec enim immediate a Supposito est, cuius humanitas est instrumentum et cui actus tribuitur.

5.° Influit tamen prout est unita humanitati. Porro est unita finito modo. Ergo finitum valorem communicat. — Resp.: dist. mai.: in quantum unio ponit conditionem quae requiritur ad actuum elevationem, concedo; in quantum unio formaliter sit entitativum principium ipsorum actuum, nego: hi enim a natura et gratia habent physicum modum et perfectionem suam. Unio vero facit ut illorum aestimatio moralis sive dignitas a divina persona mensuram habeat. Minor, quae finitam unionem dicit, etiam distingui potest, et concedi quoad entitatem relativam formaliter positam in humanitate, negari quoad terminum a quo ipsa humanitas in actu constituitur; sed in ordine ad obiectionem permitti potest, quia nihil inde sequitur.

6.° Sequeretur ex dictis infinitum fore valorem actuum Christi etiamsi essent eliciti a natura sine gratia. Atqui in hac hypothesi meritorii et satisfactorii non essent, utpote non supernaturales. Ergo tota doctrina respuenda. — Resp.: conc. mai. nego min., quia essent super naturam quod attinet ad dignitatem Personae.

7.° Sequeretur potuisse Christum nos redimere per quemcumque actum. Ergo frustra fuerunt sequentes. — Resp.: dist. antec.: quod attinet ad instrinsecum valorem actus, conc.; quod attinet ad efficaciam in actu secundo, nego, quia haec pendet ab ordinatione et acceptatione Dei.

Atqui, si ita est, valor est extrinsecus, non intrinsecus. — Nego; quia valor est in ipsa satisfactione a Christo oblata, ac Personae dignitate veluti vestita; quo infinita fuit. Quod tamen effectum obtineret nos a debito liberandi, debuit ordinari a Deo, qui si noluisset, nulla erat necessitas ut merita Christi pro nobis valerent. Pertinet enim ad rationem meriti ut opus ad mercedem, vel actus ad finem assequendum, ordinetur. Quod praesertim requiritur, cum actus non ex se habet ut sit quaedam finis inchoatio. Iamvero, nisi Deus voluisset, non merita Christi ad nostram salutem ordinari postulabant. Porro disposuit ea divina ordinatio ut non singulae Dñi Iesu operationes salu-

tem hominum adaequate obtinerent; sed haec salus toti Illius vitae, et morti praesertim, tribueretur.

8.° At, posita infinitate satisfactionis, videtur Deus non posse dignum quid Christo tribuere. — Respondeo id ponendum fore si admitteretur infinitus valor entitativus, cui responderet infinita visio Divinitatis: quae certe repugnant. At infinita dignitas satisfactionis non ordinatur intrinsece ad aliquid entitative infinitum, et satis est ut accipiatur ut sufficiens in actu primo pro quacumque multitudine et gravitate offensarum Dei; in actu secundo applicetur omnibus qui Christo iunguntur, secundum statutas conditiones. In hoc enim est quaedam infinita aestimatio eiusdem ordinis cuius est infinita satisfactio.

9.° Vel Christus meruit a primo instanti conceptionis, vel in decursu vitae, vel in morte. Atqui non primum neque alterum, quia satis fuisset, neque oportuisset mori. Non in morte, quia instans mortis est extrinsecum vitae, ideoque non amplius dat locum merito. Ergo Christus nunquam vere meruit. — Resp.: conc. mai, et nego min. quoad priores partes duas. In primo istanti iam habuit Christus, sine deliberatione et consilio, perfectam electionem, qua statim incepit mereri sibi gloriam accidentalem, nobis salutem. Prosequutus est mereri, quin obstet ratio iam prius soluta; totus enim vitae complexus acceptus fuit Patri ut exigens universalem salutem. Tertiam partem distinguimus: non fuit meritum in termino extrinseco vitae, sive in morte *in facto esse;* fuit tamen in toto tempore quod illo instanti terminatum fuit, et in morte *in fieri,* et etiam in ipsius mortis ut iam factae praecedenti acceptatione. Scilicet si non fuit in morte formaliter, fuit obiective.

84. Tenemus igitur adaequatam satisfactionem, sive obsequium quo iniuria per peccata nostra Deo inlata compensationem habuit plenam, a Iesu Christo oblatam fuisse. Non alius offerre potuisset, quia ex nullo titulo esset infinitus honor a creatura Deo redditus, et contra habet peccatum in oppositione ad infinitum ius infinitae Maiestatis veri nominis infinitatem. Potuit Christus, quia ex suae Personae dignitate obsequium quod Patri detulit infinitum dici debet. Immo, quum seipsum in vi-

ctimam dederit, et vitam perdiderit in obsequium Patris, ex hoc etiam capite quod vita illa, ut ad Personam pertinens divinam, infinitum pretium habet, rursus infinitum honorem dedit. Quae duo, primum praesertim, quum non quodammodo ac diminute, sed simpliciter infinita dici debeant, non solum peccati iniuriam sufficienter, sed cumulate et superabundanter redimere et compensare dicenda sunt.

Frustra tamen hinc nonnulli deducere conati sunt ex stricto rigore iustitiae commutativae Christum Patri satisfecisse. Non enim ad strictum ius mutui debiti satis est ut quomodocumque tantum ex una parte detur quantum ex alia, sive ut sit aequalitas dati et accepti (quod aliquo modo Christum inter et Patrem admitti potest); verum exigitur praeterea ut in ipso iure, secundum quod iustitia exercetur, utraque pars ab alia sit independens. Non enim ius modo accipitur prout obiective determinat quid sit praestandum vel tribuendum; verum prout importat in subiecto potestatem aliquid ab alio exigendi, sive alium etiam cogendi, si res ferat Porro si ille qui dicitur ius habere, in hoc ipso iure, sive in morali potestate quae illi tribuitur, ab alio pendet, profecto non erga alium hanc habet potestatem, neque ideo rigidum ius iustitiae commutativae praetendere poterit. Atqui nulla est ratio sub qua quisquis a Deo distinguitur non a Deo pendeat: quippe Deus omnis entis et relationis in quibus ius fundatur, et obligationis et ordinis moralis, et iuris et potestatis fons et causa est. Ius ergo stricti nominis quod potestati Dei non subiiciatur, quodque proinde relate ad Deum sustineri valeat, pariterque debitum Dei erga creaturam, vel erga quemcumque a Deo distinctum, etiam ut distinguitur Christus ut homo, prorsus absurdum est. Frustra afferuntur testimonia Scripturae, ubi Deus iustus iudex asseritur, et mercedem debitam tribuere: hoc unum nempe significant, ordini divinitus statuto id respondere, et fieri non posse ut non Deus inceptum opus perficiat, vel ordinem a Se positum sine causa abrumpat, vel non stet promissis, vel denique subsistens Sapientia non sapienter agat. Nulli quidpiam debet ille qui totius ordinis rerum causa est. Quod vero dicitur de-

bere sibi, non est nisi relatio rationis, cui respondet in re nuper declarata necessitas.

Iamvero, ad nos quod attinet, ipse Deus effecit ut Filius suus humanam naturam, in qua satisfacere posset, assumeret; eidem ipsi ut homini voluntatem se offerendi inspiravit, oblationem ratam habuit et eiusdem Christi merita ad nostram salutem ordinavit; denique ad efficaciam in actu secundo exserendam ipse Pater quam voluit mensuram statuit, et mortem et crucem praecepit. Hisce igitur a Dei sapientia semel constitutis, absurdum est vel fingere actiones passionesque Domini Iesu non effectum assequi, cui superexcedentem ex se virtutem habebant et ad quem divinitus dirigebantur. At quia rursus omnia in suprema ipsius Dei potestate sunt posita, absurdum est agere de ullo iure in Deum, seu de aequalitate atque independentia ullius potestatis, quae coram Deo sistere queat, eique ullum debitum imponere videatur.

85. Hactenus dicta compendio sic colligimus: *Christus Dei Filius ex libera sui oblatione et Patris, qui mortem ut conditionem statuit, acceptatione, factus est Salvator et Redemptor noster, et pro nobis satisfecit, nobisque meruit vitam aeternam.*

Christus, inquam, Dei Filius: etsi nempe potuisset Deus simpliciter peccatum dimittere, vel qualicumque satisfactione contentus esse, nulla tamen potuit creatura adaequate pro nobis satisfacere: oportebat enim ut obsequii Deo redditi infinita esset aestimatio, quo peccati iniuria compensaretur. — Nec poterat simplex homo constitui toti generi humano causa per se sufficiens salutis (quidquid sit de conditione, quam utcumque ex sua potestate statueret Deus, *sine proportione cum effectu obtinendo*): causa enim universalis altioris ordinis esse debet, et aliquid infinitum, comparate ad inferiora, in se continere.

Bene igitur extra ordinem humani generis et supra omnes, ut causa aequivoca, qui est Dei Filius ponitur. Alioquin Ille ut noster factus, et nostri similis et ex nostro genere ortus, Ille qui nil sibi acquirere cogitur, utpote omnia iam habens iure titulo divinae personae, potuit convenienter statui ut vas seu

sponsor pro fratribus, actibusque passionibusque suis vices nostras agere, seu pro nobis satisfacere et mereri.

Libere ad hoc Dominus Iesus ab exordio mortalis vitae se obtulit: *Corpus aptasti mihi ; tunc dixi: ecce venio* (Ps. XXXIX, 7 s.). Vidit enim id placere Patri, id requiri ad salutem nostram. Si non fecisset, eodem modo Deus in se magnus fuisset : tantum humanum genus periisset. Quaecumque Dei Verbi operatio ad divinum honorem restituendum, in actu primo satis fuisset. At sapientiae et amoris rationes effecerunt ut Pater in ordine ad finem re assequendum Filii mortem et crucem statueret. Hoc in ordine ad salutem nostram praeceptum fuit ; in hoc Christus obedivit.

Per hoc Salvator noster et Redemptor fuit : Salvator, quia perierat Adae progenies, amissa gratia et vita aeterna et ad amissum bonum recuperandum, ad perpetuam damnationem vitandam, omnino impotens. Redemptor, quia sub servitute daemonis tentatoris, peccati inevitabilis, concupiscentiae victricis, constricti iacebamus omnes. Analogia accepta a servis qui vendebantur et emebantur, a Christo, sui Sanguinis soluto pretio, redempti dicimur : per Illum enim in libertatem filiorum Dei, qua daemonem vincere, vitare peccatum, concupiscentiae imperare possumus, constituti sumus. Morti adhuc subditi videmur; sed ope Christi ipsius *novissima inimica destruetur mors* (I Cor. XV, 26).

Satisfactio respicit iniuriam et culpam. Iniuriam, qua Dei honorem laesimus ; culpam, qua propriae voluntati potius quam divinae obsequuti, ordinem moralem violavimus. Laesioni honoris fit satis per obsequium vel creaturae submissionem, qua tantus honor reddatur Deo quanta iniuria fuit contra Maiestatem. Culpae fit satis ferendo poenam, contrariam scilicet voluntati peccatoris, voluntati, inquam, ut naturae; quo deordinatio compensetur id faciendi quod fuit contra voluntatem Dei. Quae poena, si voluntarie feratur, iustificat patientem ; si coacte tantum, obstante scilicet voluntate ut ratione, non iustificat, sed ordinem iustitiae utcumque restituit. — Per se quidem qui laesit et peccavit satisfacere et poenas luere de-

beret. Non repugnat vero ut ex divina ordinatione alius pro alio id faciat; praesertim si pro alio positus est in adiunctis in quibus Christus fuit, nil sibi obtinere debens, et Filius Dei, et noster factus, *in similitudinem carnis peccati*. Satisfecit ergo Christus abundanter pro nobis, prout ex Sibi ut homini a Se ut Deo inspirata caritate et ex Patris acceptatione, poenas sustulit debitas nobis, quo etiam Dei laesum honorem restituit. Non illae poenae a puro homine latae suffecissent; sufficientes fuerunt ut latae ab Illo qui simul erat Deus et homo. Si Deus tantum fuisset, pati non potuisset; si homo tantum, frustra esset passus; ut Deus homo et pati potuit et satis abunde fecit.

Iisdem actibus et passionibus etiam meruit. Meritum formaliter a satisfactione differt: haec enim respicit iniuriam vel culpam, pro qua iustitiam restituit; illud est titulus ad mercedem vel praemium actioni vel labori debitum. Meritum igitur nullum malum supponit; nisi carentiam (fortasse cum privatione iunctam) boni obtinendi. Quod bonum non physice vel suis viribus obtinet qui meretur; sed actum hic ponit cui Superior, imprimis Deus ipse, finis intenti assequutionem, ut mercedem vel praemium tribuit. Quia vero in ordine morali sumus, labor a merente positus in ipsius potestate esse debet, ac proinde libere exerceri: est enim libertas dominium sui actus. Primo igitur supponitur libertas. Deinde, ut meritum sit aliquo modo condignum et non tantum quod dicitur congruum, aliqua saltem proportio esse debet actus inter quibus meritum habetur et finem obtinendum. Merces stricti nominis aequalitatem habet secundum aestimationem cum labore posito. Cum praemio nobis in aeterna vita conferendo nullam proportionem habet quidquid facimus et patimur in hac vita, si ut humanus labor tantum spectatur; prout vero sunt actus supernaturales, praesertim theologalium virtutum, gloriae caelestis utique sunt aliquod initium: *ut simus initium aliquod creaturae eius,* dicitur in ep. Iacobi (I, 18); illius nempe quae a s. Paulo dicitur *nova creatura* (Gal. VI, 15). Hac ratione condignum meritum habemus. Requiritur tamen tertio positiva ordinatio ad finem: quae fundatur etiam in proportione gratiae cum gloria, sed

quae formaliter constituitur divina voluntate: — Porro in Christo Dño fuit libertas, fuit maior aestimatio actuum suorum quam effectus inde sequuti; addi debuit divinum decretum quo actus illi in bonum nostrum cederent: non enim necessario pro nobis satisfactiones a Filio datas Pater accepit, et voluit Illius merita nobis valere.

Erraverunt veteres Protestantes, cum dixerunt ita meruisse Christum, ut nihil nobis faciendum maneat, et iniuriosum sit Redemptori aliquid sumere nobis, ac si nos mereri possemus, ac si Christi merita non sufficerent. Apparet hic serpentis deceptio, hominibus suadentis ut nihil faciant quo salutem adipiscantur: pecca fortiter et crede fortius. Iniuriosum vero esset Christo nobis aliquid sumere quasi ex nobis, et non ex gratia Salvatoris, et non illius meritis praecipue innitendo. Illorum enim, tamquam universalis cuiusdam virtutis et causae, dum agimus illi coniuncti, applicationem nobis fieri obtinemus.

Erravit Socinus qui dixit redemptorem nuncupari Iesum, eo quod mirabili exemplo sanctitatis ad sancte vivendum nos excitavit et virtutis auctor fuit. Non secus erravit ille aiendo Adamum peccandi consuetudinem induxisse, quia peccavit prior, ac deinde omnes peccaverunt, quae, ut putat, vis est illius ἐφ' ᾧ apud s. Paulum. Utraque est detestanda haeresis; ac certe nos fides edocet ipsum Adae peccatum habitualiter in nobis esse ante baptismum, sicut etiam merita Christi pro nobis valent ad salutem.

86. *Pro omnibus mortuus est Christus.* — Mortuus est, dicimus, eo quod, licet ab exordio mortalis vitae omnibus actibus Dñus Iesus vitam aeternam nobis, gloriam externam corporis et sibi et nobis, meruerit, — inerat enim omnibus infinitus valor; — nequaquam tamen, sine vitae immolatione effusoque sanguine, anteriora merita, secundum liberam Dei ordinationem, ut efficacia in actu secundo ad effectus consequendos acceptata fuerunt. Ita verum illud fuit: *Nonne oportuit Christum pati et sic intrare in gloriam suam?* (Lc. XXIV, 26). In Scripturis etiam crucis supplicium et mors, ut pretium salutis et ut obiectum obedientiae sive praecepti a Patre, exhi-

bentur. A passione denique virtus sacrificii et sacramentorum et omnium quibus ad veniam peccatorum et sanctificationem ducimur, in primis derivatur.

Asserimus autem pro omnibus Christum esse mortuum, sive omnium prorsus hominum constitutum illum fuisse Salvatorem. Pro omnibus dicitur, quod spectat ad sufficientiam virtutis, non ad effectum salutis, quam re omnes assequantur. « De redemptione facta per passionem Christi est loqui dupliciter: aut secundum sufficientiam, et sic passio redemit omnes, quia, quantum est de se, omnes liberavit: omnibus enim redimendis et salvandis est sufficiens, etiamsi essent infiniti mundi, ut dicit Anselmus; aut secundum efficaciam, et sic non omnes redemit per passionem, quia non omnes adhaerent Redemptori » (In Apocal. c. V, inter opp. s. Thomae). Et in ea verba (ad Hebr. II, 9): *pro omnibus gustaret mortem*, scribit Angelicus: « *Pro omnibus* autem dupliciter potest intelligi: vel ut sit distributio in sensu accommodo, scilicet pro omnibus praedestinatis; pro istis enim tantum habet efficaciam; vel absolute omnibus, quantum ad sufficientiam; sufficiens enim quantum ad se omnibus est: *Qui Salvator est omnium hominum, maxime fidelium* ». Qua scilicet ratione in praesenti ordine, etiam post lapsum, seu post Adae peccatum, *Deus vult omnes homines salvos fieri et ad veritatis agnitionem venire* (I Tim. II, 4); *nec aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (Act. Ap. IV, 12); evidens est etiam pro iisdem omnibus Christi passionem latam fuisse et satisfactionem oblatam Patri.

87. Vulgaris notitia est necessariae illius distinctionis, quam respectu divinae voluntatis facere debemus, in antecedentem et consequentem. *Antecedens* est quae aliquod obiectum respicit absolute, secundum primam sui considerationem, neque attendit ad ea qua illi forte adiunguntur. Quae adiuncta si spectentur, alio modo illud obiectum sub voluntate cadit, et tunc voluntas dicitur *consequens*. *Antecedenter* rex vult vitam subditorum omnium; at *consequenter* ad crimen, vult delinquentis mortem. — Priori voluntate, quae refertur ad aliquid praecisum a

suis adiunctis, ideoque ut voluntas inefficax, volumus *secundum quid*. Altera, quum feratur in rem prout est, quod per se competit facultati in bonum tendenti (verum enim est formaliter in mente, bonum in rebus), volumus *simpliciter*. — Prior etiam voluntas est absoluta. Nemo tamen male hinc deducat tam patere consequentem voluntatem quam absolutam : dicitur enim consequens tunc tantummodo cum in volito opponitur antecedenti. Quae denique antecedens voluntas dici etiam potest respondere primariae intentioni ; illi nimirum, cum de Deo agimus, qua Deus quantum spectat ad opus suum, et ni defectus ex parte causarum secundarum a suo ordine et a divina motione deficientium intercedat, creaturas ordinavit ad finem.

His positis, intelligitur voluntas Dei antecedens omnes homines perducendi ad vitam aeternam. Creavit enim illos et gratia ab initio eos auxit, quo beatitudinem consequerentur. Iterum, post Adae peccatum, humanae familiae salutem promisit, ac serpentem victorem edixit vincendum fore. Singulis etiam qui peccant veniam obtulit, utique poenitentia obtinendam : ac dixit se nolle mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat ; et patienter agit, nolens aliquos perire sed omnes ad poenitentiam venire (II Pe. III, 9). — Augustinus tamen, qui voluntatem Dei ut absolutam accipiebat, nec pati poterat ut quod vult Omnipotens non reipsa fieri diceretur, verba allata s. Pauli (*omnes homines vult salvos fieri*), temperabat primo, ut significarent ex omni hominum classe aliquos salvari ; deinde facilius declaravit, implicite recurrendo ad voluntatem antecedentem et conditionatam : quod scripsit in l. *de Spiritu et Litera,* postquam decertatio cum pelagianis incepta fuit.

Nimis patet voluntate absoluta, quae effectum ultimum respicit, non omnium salutem velle Deum ; vellé antecedenter, prouti humanam familiam ad finem supernaturalem universim ordinavit. At finis obtineri debet ordine statuto, ut ante mortem vita aeterna habeat in homine inchoationem per habitum gratiae, qui vel propriis actibus cum voto saltem sacramenti, vel sacramento, obtineri debet. Si conditio haec, vel culpabiliter vel sine culpa defuerit, iam non vult Deus illius a quo

gratia abest, salutem. Est ergo respectu omnium voluntas efficax Dei ut media salutis communiter proponantur. Ut ad singulos media exteriora perveniant, miracula non promisit : ex defectu proinde causarum secundarum infantes sine baptismo mori possunt sine baptismo ; adulti sine Christi Salvatoris notitia : sed hi ope interioris gratiae ad actus qui obtinendae gratiae sint satis perduci queunt.

88. Iamvero media haec, quae sacramentis praecipue continentur, nec sine horum voto efficaciam habent, per Christum et eius Passionem omnino conceduntur. Igitur, quo pacto nunc Deus vult omnium salutem, et certe vult ut omnes possint salutem adipisci, ac de fide est in hoc non esse exceptionem, (omnibus enim Evangelium proponi debet, in omnibus efficax est baptismus); eodem certum est Christum pro omnibus mortuum esse. Frustra illi, pro quo mortuus non esset, baptismum conferre quis vellet. In qua veritate firmanda multus est s. Paulus, qui morti per Adamum inductae vitam opponit a Christo allatam (Rom. V); *multi,* sive omnium multitudo, per Adam mortui sunt ; omnes etiam per Christum vivificari queunt. — Aliaque multa Scripturae testimonia ad praesentem humani generis conditionem, non ad illam quae in iustitia originali fuit, referuntur. — Secundum haec, Conc. Arelatense (a. 473) eum qui dixerit « quod Christus non pro omnibus mortuus est, nec omnes homines salvos esse velit », anathematizavit. Hoc contra Lucidum presbyterum edixit. Contra monachum Gotteschalcum, Conc. Carisiacum (a. 853) edixit : « Deus omnipotens omnes sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur. Quod autem quidam salvantur, salvantis est donum ; quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum » (D. 318). Item Conc. Valentinum (a. 855) contra Scotum Erigenam (D. 320). Quas sententias Ecclesiae universalis suffragium ratas habuit. Itaque qui *praedestinatiani* audiebant, autumantes pro iis solummodo qui vitam beatam assequuntur passum et mortuum esse Dñum Iesum, damnati sunt. Iis iansenistae consenserunt : quapropter auctoritate Innocentii X a. 1653 damnata fuit eorum quinta propositio. « Semipelagianum est dicere Christum

pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse » (D. 1096). De qua in eadem pontificia constitutione hoc additur : Declarata et damnata uti falsa, temeraria, scandalosa, et intellecta eo sensu ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus est impia, blasphema, contumeliosa, divinae pietati derogans et haeretica. — Denique ab Alex. VIII damnata est propositio : « Christus dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus » (D. 1294). — Nulla ergo restrictio facienda est ; etsi haereticum est dumtaxat oblationem coarctare ad solos electos. Temerarium est ad fideles restringere. Falsum est, contra evidentem sensum Scripturae ac traditionem Patrum et rationem theologicam, quomodocumque caritatem imminuere, qua Deus Filium suum misit, ut salvum faceret genus humanum, et qua Christus, vere Salvator mundi, et qui pro toto totum dedit, ut Augustinus ait, non pro Afris tantum, universalem se victimam obtulit.

89. Atqui non omni specie veritatis, vel sophismate carent alii qui virtutem vel saltem benevolam Christi intentionem minuerunt, ita ut non Ille sanguinem fuderit pro iis qui sua se culpa perdunt, vel utcumque ad vitam non perveniunt. Illud enim in primis notant quod Christus sciebat qui essent sui. Quo posito, quae Illi cura de non suis ? Et cur, agnita eorum ruina, frustra pro iis laboraret ? Praeterea pluris est vitam fundere quam solas preces. Atqui pro quibus oravit Christus, efficaciter oravit : exauditus enim est pro sua reverentia. Ergo pro iis qui non salvi fiunt, non oravit. Adhuc minus ergo pro eis sanguinem dedit. — Ad haec dicendum utique in Causa prima, et proportionaliter in illa causa universali quae fuit Christi humana voluntas, aliquod discrimen admittendum esse respectu diversorum effectuum, et peculiari modo respectu eorum qui solum ordinantur ad finem quem reipsa non consequuntur, et aliorum qui eumdem finem re consequuntur. Non enim fieri potest ut quae est perfectio et actualitas, in positiva conditionis ex qua finis pendet verificatione, influxui primae Causae quomodocumque subtrahatur. Et licet ad conditionis defectum

permissive tantum se habeat Deus, sicut ad omne malum, non item ad illius positionem, quae immo et ab intentione Dei et a motione pendet. Quo pacto dicunt omnes, quamcumque deinde rei explicationem quaerant, gratiam efficacem, etiam in actu primo peculiaris beneficii rationem habere. Qui ergo salutem consequuntur, gratiis efficacibus certe adiuti, ex singulari modo benevola Dei providentia id habere debuerunt. Simili quadam ratione erga illos Christi humana voluntas affecta est. Ut enim suos novit, eosdem peculiari amore prosequutus est ; nec pro iis quos eligit ut apostolos vel discipulos, vel qui in eum essent crediturí eique obsequuturi, eodem prorsus modo oravit ac pro reliquis, quos novit ad mundum illum pertinere in eoque mansuros, pro quo protestatus est se non rogare. Rogavit utique etiam pro omnibus simul sumptis ; quo sua passio toti humano generi universim prodesset et omnibus, servatis legibus divinae Providentiae, media salutis exhiberentur, et gratiae interiores plurimae distribuerentur At quod spectat ad efficaciter petendum quod ultimo spectabatur, rogavit secundum ordinem spectatae sibi paternae Voluntatis : desiderio inquam consequente considerationem adiunctorum omnium, et peccatorum et mortis supervenientis singulis, vel divina gratia destitutis, vel eadem ornatis, rogavit tantum pro iis, quos novit a Patre electos, et vocatos et iustificatos et finali perseverantia donatos. Haec autem omnia, sive oblationem gratiae etiam reiicientibus, sive collationem consentientibus, ex meritis suae passionis fieri novit. Quamobrem eadem proportione pro hominibus mortem et sanguinem obtulit. Pro omnibus, in ordine ad sufficientiam, et etiam in ordine ad beatitatem, voluntate antecedente, affectuque simili illius, quo Patrem rogavit ut calix transiret, subdendo tamen : fiat voluntas tua. Pro electis, voluntate absoluta et efficaci, quae et iustificationem et finalem perseverantiam certissime obtineret. — Haec est doctrina Angelici Magistri, cum agit de oratione Christi (III p., q. XXI), ubi negat Illum pro omnibus crucifixoribus orasse et etiam pro omnibus in eum credituris ; sed ita negat ut ipse tradat principia explicationis, ea nempe quae exponimus : quis enim negaverit ea vere ex

animo Iesum dixisse : *Pater ignosce illis* et reliqua ? Quod non fuit re obtentum ; et tamen *scio quia tu semper me audis ?* Distinguere ergo oportet ut dictum est. Idemque de effectu passionis dicemus : « Certum est enim Christum venisse ad deletionem omnium peccatorum : non quod omnia deleantur, quod est propter defectum hominum ; sed quia exhibuit quod sufficiens fuit ad omnium peccatorum deletionem » (III p., q. I, art. IV). Et iterum : « Per passionem Christi paratum est hominibus remedium se tuendi contra nequitias daemonum. Sed si aliqui hoc remedio uti negligant, nihil deperit efficaciae passionis Christi » (q. XLIX, art. II, ad 3^{m}). — Duriuscula quaedam habet s. Augustinus, sed ex iis quae ipse clarius tradit, ad sensum Ecclesiae bene aptabuntur.

2) — *De praedestinatione.*

90. Verum contra assertam Dei voluntatem ut omnes homines salvi fiant, praecipue videtur stare necessitas praedestinationis. Frustra enim dicimus habere Deum voluntatem antecedentem salutis omnium, minime vero consequentem, si conditio aliqua ad salutem necessaria ab ipso Deo ponenda est, et respectu aliquorum ponitur, respectu aliorum non ponitur. Atqui eiusmodi est praedestinatio. Qui eliguntur et praedestinantur, certe salvi fiunt ; qui non eliguntur, certe damnantur. Ergo conditio, quam antecedit voluntas inefficax et quam consequitur voluntas efficax, a Deo ipso ponitur, ideoque non vult Deus omnes salvos fieri.

Ut hoc diluatur, dicendum paucis quid sit praedestinatio. — Est ea pars providentiae, quae respicit salutem ab aliquibus (a plurimis, ut sperare licet) efficaciter obtinendam. — Providentia autem est ratio in mente Dei exsistens rerum ducendarum in finem. Est nimirum executio ordinis per legem statuti. Lex rationem universim servandam assignat ; providentia hanc rationem vel singulis applicat, vel per causas inferiores applicandam disponit et curat, vel ordinem harum causarum deficientia laesum restituit et integrat, ita ut etiamsi finis particu-

laris primum a lege statutus non obtineatur, finis saltem universalis firmus maneat, in eumque omnia recidant. Quod quidem per Providentiam primae Causae unice fieri potest. At enim quum sit finis quidam determinate positus creaturis rationalibus, isque longe maximus inter cetera quae sunt, earum nempe aeterna vita; pars providentiae quae illius finis assequutionem directe respicit, eosque curat qui reipsa eumdem finem assequuntur, peculiari nomine designata est, dictaque fuit praedestinatio. Est ergo praedestinatio eorum qui salvi fiunt transmissio in vitam aeternam; vel accuratius cum s. Thoma, *ratio transmissionis quorumdam in finem vitae aeternae in Deo exsistens* (I p., q. XXIII, art. I). Est ratio, sive ordo eventuum quibus disponitur ut quis tandem salvus fiat; et praeter constitutionem ipsius subiecti et externas circumstantias omnes, quibus fit ut ille homo media salutis habeat, complectitur praesertim gratias supernaturales, a prima vocatione ad ultimam qua perseverantia finalis obtinetur. Sed hic ordo, ut est in homine ipso, est exequutio praedestinationis; formalis vero praedestinatio est solum in Deo; et primo et formaliter in intellectu, sicut et providentia. Quamobren s. Augustinus in notione hac primam ponit praescientiam; et, praedestinatio, ait, non aliud est nisi praescientia et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur (De dono persev. c. XIV; ML. 45, 1013 s.). – Non tamen ea ratio sive ille ordo intellectu speculativo unice continetur, sed adiuncta voluntate fit practicus et efficax; ita ut sit causa exequutionis, et reipsa ad beatam vitam eorum quos respicit terminetur. — Est ergo praedestinatio in Deo, non formaliter (etsi erit secundum effectus suos) in homine praedestinato. — Atque ex dictis definiri potest: Divina ordinatio efficax hominis per gratiam ad gloriam.

91. Haec quam definivimus, praedestinatio, est integre accepta, et respondet doctrinae Apostoli scribentis: *Quos praedestinavit, hos et vocavit; quos vocavit, hos et iustificavit; quos autem iustificavit, illos et glorificavit* (Rom. VIII, 30). — Potest tamen accipi et partialiter. Diminute quidem, si refertur

tantummodo ad notionem fidei, vel ad primam iustificationem, quae per se ordinatur ad gloriam, non tamen semper assequitur. Sic dicuntur (Act. XIII, 48) credidisse quotquot erant praeordinati in vitam aeternam: nec tamen cogimur tenere omnes qui crediderunt salvos esse in caelo. Ita s. Paulus (I Thess. I, 4) dicit fidelibus: *Scitis electionem vestram,* quam tamen cognoscebant dumtaxat in ordine ad fidem acceptam. Et s. Petrus commendat nobis ut certam nostram electionem faciamus (II Pe. I, 10): ubi electio nominatur ut aliquid incerti exitus. Iidem autem in Scriptura dici videntur electi qui praedestinati. At si pleno sensu praedestinatio intelligitur, quemadmodum in textu allato s. Pauli exhibetur, ubi qui praedestinantur dicuntur denique glorificari, iam finis assequutionem et certitudinem beati exitus complectitur; et ita plerumque accipitur in sacra doctrina, ac de ipsa omnis quaestio movetur. — Est potius aliud discrimen, prouti aliquando praedestinatio refertur ad collationem gloriae, seorsim acceptam ab universa praeparatione. At non ita profecto intelligitur in usu loquendi Scripturae, cum haec de vocatione ac de electione sanctorum loquitur; non ita in eo loco s. Pauli qui praecipuus est, ubi post divinam electionem statim ponitur praedestinatio, et huic assignantur effectus omnes quibus obtinetur salus, a vocatione ad glorificationem. Neque aliter intellexit s. Augustinus, qui in hac re magnus est magister, ac notionem illam praebet: Praescientia et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur. Non aliter s. Thomas, cui praedestinatio est ratio transmissionis creaturae rationalis in finem vitae aeternae (I p., q. XXIII, art. I). Porro electio, praeparatio, transmissio, non dicunt tantummodo collationem gloriae, sed totum opus gratiae, qua homines ducuntur ad vitam. Singulari ratione *electio* nullam haberet propriae vocis veritatem, si ad solum exitum posset referri, qui exitus in praecedenti dispositione prorsus iam est determinatus, prouti nimirum anima ex hac vita excedit gratia ornata vel destituta; at in suo conceptu electio aliquid importat eligenti liberum, quod utique ad primam efficacem vocationem et ad subsequentes gratias, quae

non sunt meriti obiectum, referri debet. Ridiculum esset dicere: En hic iuvenem et puellam: elige alterutrum ad sacros ordines. Non igitur ad gloriam, prout haec decessum in statu gratiae praesupponit, proprie datur electio; at, si gloriam respicit, eam respicit ut terminum totius praeparationis, quae à vocatione incipit ac dono perseverantiae absolvitur.

92. Fatendum est aliquando praedestinationis nomen adhibitum quoque fuisse in ordine ad poenas aeternas, quibus qui gratia destituti seu gravi noxa obstricti decedunt, addicuntur. Ita etiam Concilia Carisiacum et Valentinum (D. 316. 322) loquuta sunt. Verum et in iisdem locis quid inter duo praecipue intercedat, rite declaratum est. Nempe « Deus bonus et iustus elegit ex eadem massa perditionis secundum praescientiam suam quos per gratiam praedestinavit ad vitam, et vitam illis praedestinavit aeternam; ceteros autem, quos iustitiae iudicio in massa perditionis reliquit, perituros praescivit, sed non ut perirent praedestinavit: poenam autem illis, quia iustus est, praedestinavit aeternam. Ac per hoc unam Dei praedestinationem tantummodo dicimus, quae aut ad donum pertinet gratiae, aut ad retributionem iustitiae ». Haec Carisiacum. Valentinum autem: « Fidenter fatemur praedestinationem electorum ad vitam, et praedestinationem impiorum ad mortem: in electione autem salvandorum misericordiam Dei praecedere meritum bonum; in damnatione autem perituroruм meritum malum praecedere iustum Dei iudicium. Praedestinatione autem Deum ea tantum statuisse quae ipse vel gratuita misericordia vel iusto iudicio facturus erat secundum Scripturam dicentem: *Qui fecit quae futura sunt* (Is. 45, 11 sec. LXX): in malis vero ipsorum malitiam praescivisse, quia ex ipsis est; non praedestinasse, quia ex illo non est ». Ex quibus liquet accipi praedestinationem pro destinata sententia faciendi quod ipse Deus facturus est: pro bonis, totum ordinem salutis; pro malis irrogationem poenae post culpam non impeditam. Pro utrisque eodem pacto habetur *praescientia;* ex qua acceptum nomen, ut quid commune et infimum damnatis servatur, iique praesciti vocantur, per oppositionem ad alios qui electi et praedestinati dicuntur.

Opponitur igitur praedestinationi reprobatio. Repugnat certe ut haec ponat in Deo ipso positivam ullam voluntatem quae respiciat praeparationem ad mortem: *Deus enim intentator malorum est* (Iac. I, 13). Repugnat ut Deus ab initio ullum eligat, quem velit damnari: vult enim antecedenter omnes salvos fieri. Hoc ita vult ut cunctis parata velit ac det vere, sive per exteriora adiuncta, sive per interiores motiones, media ad salutem sufficientia. His videt non omnes uti efficaci modo, multos immo deficere. Non hoc in sapientia sua vult impedire; immo permittit defectum, qui unice ex creatura, non ab Illo provenit. Eiusmodi defectus ad mortem usque perdurat. Qua praevisione et permissione posita, necessario Deus eos qui sic decedunt poenis addicit. In hoc reprobatio sistit; quae respectu poenae, culpa usque ad mortem praevisa, iam positiva est; respectu ipsius culpae negativa tantum est, prout nullam causam habet in Deo, sed negationem includit nulli debitae gratiae efficacis, sine qua manet in homine vera potestas per gratiam sufficientem se convertendi ad Deum et perveniendi ad vitam aeternam. Reprobatio igitur nihil ponit in homine quo damnari debeat, et nullum tollit medium ad salutem necessarium.

93. *Praedestinationem indistinctim, vel ut completam vel ut incompletam, admitti debere, de fide est.* — Nam et s. Paulus eam asserit, et eam Evangelium supponit, ubi dicitur: *Venite, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi* (Mt. XXV, 34); et certe credimus in Deo esse praescientiam futurorum omnium, tum voluntatem faciendi quae Ipse facturus est. Porro opus salutis per gratiam et transmissionem hominis ad gloriam Deo tribui debere nimis est evidens. Idem a Patribus tradi, idem ab omnibus in Ecclesia supponi, ut veritatem ad fidem pertinentem, pariter notissimum est. Hoc scio, ait s. Augustinus, neminem contra istam praedestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando, disputare potuisse (De dono persev. c. XIX; ML. 45, 1023 s.). — Haec duo nimirum prae oculis habere oportet: Nihil accidere posse quod sub divina providentia non cadat, quum omnia Deus intelligendo te

volendo faciat; deinde peculiari ratione providere Deum assequutioni ultimi finis, quem primo intendit, et quem sine peculiari Dei adiutorio, naturam excedente, attingit nemo. Vere proinde est *gratia Dei vita aeterna* (Rom. VI, 23): non solum quia ordine supernaturali qui totus gratuitus est continetur; sed etiam quia in tanto rerum discrimine nullus sine favente sibi divinae Providentiae dispositione eumdem finem assequitur. Proinde nemo salvus erit nisi fuerit praedestinatus. Quod quidem verum est, quia necessario nihil contingit praeter scientiam et voluntatem Dei; et quia praeterea singulari ratione id a prima Causa disponitur quod in se contingens est, sed supremum finem per se primo intentum directe respicit.

94. *Contingens est materialis praedestinationis exequutio; in Deo certissima et infallibilis est.* — Materialis exequutio, dicimus, ut seponatur ratio formalis, quae ponit divinam dispositionem ut talem: haec autem necessariam veritatem habet, ut deinde asserimus. — Exequutio est ipse ordo eventuum in subiecto praedestinato, conformis ordini in mente divina praeexsistenti: nascitur, instituitur, vocatur ad gratiam, venit, tentatur, vincit, moritur homo, sicut praestituit Deus. Iamvero singula haec contingentia sunt, sive ita sunt ut possent aliter esse. Maxime contingens est ipsa hominis nativitas; deinde mutabilia sunt omnia fere quae eveniunt, sive in adiunctis externis, sive in motibus et actibus liberis, sive in gratiae mysteriis, sive demum in vitae desitione. De his omnibus, quae per se sunt incertissima (gratia aliqua ratione certa est, quia Deus non deficit; sed incerta est mensura, eademque prorsus ignota), necessario dubitamus, praesertim de rectitudine nostrae voluntatis, etiam qua nunc Deo servimus, tanto magis qua deinde perstabimus. Si vero cadimus, nemo scit utrum statuerit Deus nos a peccato efficaci gratia revocare, vel nos nobis permittere, quo perditi essemus. Quapropter tota res in se habet contingentem exsistentiam; non ea sola ratione qua contingens est exsistentia cuiuslibet creaturae, sed etiam comparate ad ordinem rerum statutum et ad seriem causarum, praesertim libertatis nostrae. Unde sponte sequitur rei eventum esse penitus nobis ignotum,

et unice in divina misericordia nobis esse fidendum. Propterea dictum est : *Cum metu et tremore vestram salutem operamini* (Phil. II, 12) ; aliaque similia. « Quis potest dicere : ego de electis sum ? » ait s. Bernardus. Et Tridentinum edixit neminem, nisi ex revelatione (quam quis praesumat?), suae praedestinationis certitudinem habere posse (sess. VI, c. XII ; D. 805). — Prouti vero praedestinatio in Deo est, ubi nimirum formaliter est, non secus ac providentia, infallibilis et certissima est. Non enim deficit Deus omnipotens, nec fallitur omniscius, qui eventus etiam contingentes et liberos, non deducit ex causis, sed ut sunt actu in seipsis cognoscit, eosque prorsus habet in sua potestate positos. Igitur, in sensu composito cum data alicuius praedestinatione, necessaria est eiusdem salus ; sed necessitate *dicti,* quod non potest falsificari, sicut necessario verum est me scribere si scribo ; non necessitate *entis,* quod ita est ut non possit non esse. « Firmissime tene neque perire posse aliquem eorum quos Deus praedestinavit ad regnum coelorum », ait s. Fulgentius, Augustini discipulus ; et recurrit illud verbum Dñi Iesu : *Et non rapiet eas quisquam de manu mea* (Io. X, 28). Sed est consilium Dei omnino absconditum, sive quod ad singulos, sive quod spectat ad multitudinem electorum.

95. Liberrime enim Deus hanc rerum universitatem, in qua hi erant homines procreandi, voluit exsistere, cum omnibus his adiunctis quae successive contingere Ipse vidit et statuit. Liberrime haec quae reipsa confert adiumenta gratiae, se collaturum praestituit, quibus sic disponendas liberas electiones, vel sequutura peccata, vel merita acquirenda, eaque ab initio vitae uniuscuiusque, vita labente, denique in vitae exitu, et scivit, et vel bona disponere vel mala permittere voluit. Certe nullus potest supernaturaliter agere sine gratia, quam Deus libere conferre decrevit ; nullus in hac gratia perseveravit, nisi Deus eum se servaturum statuit ; hoc ipso, hos quibus sic favere voluit Deus, libere eligit, et dilexit, et vocavit et praedestinavit. Ceteros, quos peccato illigatos novit, non se ab illo gratia efficaci liberaturum statuit : hoc ipso, damnandos praescivit.

Cur autem priores a communi damnatione efficaciter liberare voluerit, non ita posteriores, et non est quaerendum, et non habet causam nisi divinam electionem. — Neque in hac electione quidquam pertinet ad rationem iustitiae: neque dici potest Deus acceptor personarum. Nihil enim ulli debet Deus; quod autem pro sapientia sua decet ut conferat creaturis, illud abundanter omnibus praebet. De iusto ordine proinde agendum est, prouti exordia et exitus in creaturis comparantur. Iamvero libera voluntas hominis posset gratiam sibi oblatam excipere, sibique uni tribuere debet quod illam respuit: proque repulsione iustissime punitur. Et qui gratiae obsequitur, libere id facit, ita ut in ordine adimplendo infallibiliter a Deo statuto ipsa creatura verum habeat meritum. Hoc autem quod sic per gratiam moveatur et ad finem perducatur, divinae misericordiae tribuendum est. At divina electio ratio est totius ordinis qui iuste in creatura servatur: non est agendum de iustitia quam ipsa electio Dei respectu creaturae habeat vel non habeat: extra totum hunc ordinem sita est. Acceptio autem personarum dicitur, qua quis ad munus quodcumque eligitur non secundum dispositiones quibus ad id instructus esse deberet. Non est ergo quaestio de hoc, cum agitur de ipso ordine statuendo, quo iam ab initio prima dispositio obtinetur, neque anterius ullum exordium exsistere vel spectari potest. Atqui ita Deus se habet, ut totum ipse unus ordinem gratiae et meritorum et obtinendi finis instauret. Ergo nullo pacto in sua praedestinatione, qua tamen liberrime quos vult eligit ac diligit, acceptor personarum dici potest. — Et quia totum opus naturae atque humanae honestatis nullam cum ordine supernaturali proportionem habet, (si tamen sunt actus vere honesti hominis cuiuscumque, in quos non gratia divina influxum exerceat), nihil faciunt naturales virtutes ad hoc ut Deus vocationem ad fidem et gratiam efficacem conferat, sive ad hoc ut sit ille homo obiectum electionis ac praedestinationis. Quemcumque Deus vocet et iustificet, nihil iterum huc pertinet acceptio personarum. — Si vero ordo supernaturalis iam inceptus est, utique vocante ac trahente Deo, certe Deus non respuit hominem

recte operantem, sive iudaeus ille sit vel gentilis, sive graecus vel barbarus. Invocatio Dei et opus ex gratia factum titulus est obtinendi gratiam ac denique gloriam. Nunquam continget ut facienti homini per gratiam quod in se est, Deus deneget ulteriorem gratiam, vel post hanc vitam deneget gloriam. Hoc est quod dicitur Act. X, 34: *Non est acceptor personarum Deus; sed in omni gente qui timet eum et operatur iustitiam acceptus est illi.* Minime hoc refertur vel ad efficaciam vocationis, vel ad liberationem a peccato, in quod quis incidit.

96. Ex his omnibus patet, praedestinationem ea significatione acceptam, qua s. Paulus eam accepit, qua acceperunt s. Augustinus et s. Thomas, nullam ullo modo in humanis actibus causam habere. Formaliter enim est divinus actus, Dei nimirum ordinem statuentis quo ducturus est homines ad finem: atqui nec divini actus, qui est rerum causa prima, nec totius ordinis qui exordium et exitum et quidquid medium est complectitur, in ipsa creatura causa ulla inveniri unquam poterit. Praedestinationis ergo simpliciter dictae, prouti nimirum formaliter in Deo est, nulla causa quaeratur. — Si vero praedestinatio abusive dicitur ut relata ad effectus illius qui sunt in creatura, non secus ac diversi effectus providentiae, illi utique habent inter se causalitatem ac dependentiam: ipsa consequutio finis pendet ab opere gratiae praecedentis, a meritis vitae, a conditione mortis. Sed haec ad effectus et ad exequutionem pertinent; nequaquam ad praedestinationem ipsam, quae in Deo est, et non habet causam.

Recte igitur ac certe haec statui possunt:

a) Praedestinatio, quae liberam electionem divinae voluntatis sequitur et totum respicit ordinem salutis in his qui reipsa salvi fiunt infallibiliter exequendum, est omnino gratuita. Quae assertio de fide est, contra pelagianos dicentes Deum eligere quos novit bene operaturos, ita ut futura merita sint causa divinae electionis. Etiam per hoc respuitur somnium somniantium merita in anteriori quadam exsistentia acquisita, quod ex platonicis derivatum fuit.

b) Praedestinatio ad primam gratiam est pariter omnino gratuita, nec cadit sub merito. Secus enim *gratia non esset gratia* (Rom. IV, 4; XI, 6). Et Tridentinum gratiae praevenienti iustificationis initium tribuit, quam proinde nullum meritum praecedere potest (D. 797). Et patet principium meriti non posse cadere sub merito, ne in eodem ordine idem sit causa et causatum. — Contra semipelagianos hoc quoque definiri debuit.

c) Post primam gratiam, ulteriores gratiae cum iustificationis augmento, obiectum sunt meriti; verum gratia ut formaliter efficax, ita nimirum collata ut consensum liberae voluntatis reipsa habeat, et sic usque ad vitae exitum continuetur, stricti meriti obiectum non est; liberum Dei miserentis beneficium dici debet.

d) Consequenter ad mortem in statu gratiae, gloria datur ut corona iustitiae, ideoque infallibiliter et ut terminus meritorum, si de iis agitur qui sua libertate usi sunt; ut haereditas adoptioni respondens, si de pueris post baptismum vita functis.

e) Quia haec igitur positiva voluntate a Deo decreta contingunt, sunt necessario suae praedestinationis effectus. Qui autem peccato originali vel actuali ita noscitur obstrictus, ut in ea conditione vitam absolvat, consequenter reprobus constituitur. Ea vero peccatoris dispositio non a Deo est operante, sed solum permittente: ideoque non positivum quid importat in Causa prima, sed negationem ulterioris beneficii quod non debetur: negationem scilicet impedimenti ad peccandum, et gratiae quam reipsa consensus sequatur peccatum destruens, et remotionis naturalium causarum quae in iis conditionibus mortem adducunt. Haec utique praescit Deus; at quum negativa sint, non Deus facit ut ea sint; iis tamen positis, necessario sequitur peccatoris damnatio. Et quatenus ea quoque cadunt sub primae Causae providentia, admittenda est respectu hominum praescitorum divina reprobatio. Quam reprobationem nefas esset accipere ut positivum decretum damnationis ante praevi-

sum peccatum ; idque contra Calvinum explicite declaratum est. Porro hactenus dicta omnibus certa sunt.

97. Dissentiunt vero theologi, cum praedestinationem seorsim spectare volunt in ordine ad gloriam seu vitam aeternam, et quaerunt utrum divinae voluntatis intentio feratur primum in beatitudinem electorum decernendam tamquam in finem absolute praestitum, ac deinde velit eorum merita per gratias efcaces determinanda, tamquam medium ad finem illum ; vel potius in priori signo rationis divina voluntas indifferenter se habeat ad salutem uniuscuiusque, et tantum consequenter ad praevisionem meritorum et conditionis in qua quisque moritur, unicuique domum aeternitatis assignet. — Hoc posterius certe veritatem habet in ordine exsequutionis. Disputatur ergo, an ordo intentionis ordini exsequutionis sit oppositus, vel sit conformis.

Iamvero qui omnino tenent singulos actus praedeterminari, ita ut ratio eligendi potius hoc quam illud sit in ipsa divina motione, quae ad sic libere volendum sive bonum sive malum praedeterminat creaturam, — non ita solum ut a Deo sit tamquam a Motore primo eligendi actualitas, sed etiam ratio hoc volendi potius quam aliud ; — illi inquam, vel necessario, vel libentissime ac sine ulla difficultate dicunt unumquemque salvandum a Deo prius electum, deinde per singulas gratias ad finem esse deductum : et sicut gratuita est praedestinatio ad gratiam, eodem pacto gratuitam esse destinationem ad gloriam, cuius causa singulae infallibiles motiones ad bene operandum toto vitae tempore conceduntur. Videtur inde sequi eadem ratione ceteros esse deputatos ad mortem et esse positivam reprobationem. Negant tamen hoc bene deduci, quia causa damnationis peccatum est, quod non vult Deus sed permittit. Quod ad censuram theologicam vitandam satis est ; an vero quietet intellectum, murmurantem satis esse ad hoc ut quis peccatum velit, velle actum cui deformitas moralis adiuncta est, eumque hunc actum velle qui primo est ratio cur dependens voluntas eo feratur, alii viderint, et qui potest respondeat. Quaestio est quae per plura saecula multorum ingenia fatigavit. — Iidem

vero auctores, ut directe solvant quaestionem de praedestinatione, primo afferunt loca Scripturae in quibus gratuita omnino illa asseritur, et miserenti Deo unice tribuitur. Deinde sic arguunt: Qui ordinate vult, prius vult finem quam media ad finem. Atqui gloria est finis et merita sunt media ad illum conducentia. Ergo Deus (qui certe vult ordinatissime) prius vult gloriam quam merita, et consequenter electio ad gloriam non potest esse ex praevisione meritorum. — At qui huic sententiae adhaerere detrectant, loca Scripturae intelligunt de electione ad totam vitam gratiae, et negant referri ad gloriam seorsim acceptam, seu per se spectatam. Idemque faciunt pro allegatis testimoniis sanctorum Augustini ac Thomae. Ad rationem allatam reponunt, distingnendo maiorem: Qui ordinate vult, vult finem ante media, finem scilicet absolute praestitutum, cuiusmodi est gloria Dei in universo et felicitas aliquorum e creatis spiritibus, concedo; finem conditionate volitum et contingenter obtinendum, cuiusmodi est beata vita singulorum ad probationem admissorum, nego. — Contradistincta minori, recipiunt conclusionem quoad hoc quod certe finale opus Dei non deficiet, negant antecedentem determinationem eorum qui in probatione salvi erunt. Negant profecto pro signo priori voluntatis divinae, quam *nos seorsim consideramus respectu gloriae et respectu gratiae;* non negant pro antecedente cognitione ac praedefinitione divina.

Dicunt proinde oppositae sententiae defensores eumdem esse ordinem intentionis et exequutionis; quo pacto scilicet Deus gloriam vult concedere tamquam coronam meritorum, ita nec gloriam absolute concedendam intendit nisi post praevisa merita libere acquisita. Ideo dicunt vitam aeternam, quae universim est gratia Dei, seorsim tamen acceptam pro ipsa gloria, vocari in Scripturis *mercedem, bravium, coronam iustitiae.* Ideo s. Petrus scribit: *Magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Ideo sententia Christi erit: Venite benedicti; esurivi enim etc. Testimonia Patrum in hanc mentem conspirantia sunt sine fine, quotquot christianam vitam ad obtinendam salutem commendant. Ratio denique

est, quod secus non intelligitur universalis voluntas salutis omnium, et quomodo non sit in Deo antecedens quaedam reprobatio eorum qui non eliguntur. Qui enim non positive eligitur, eo ipso necessario damnatur. — Hoc certe nobis difficile est. Omnia tamen in posteriori sententia aptata sunt humano captui, utpote modo agendi humano magis propinqua ; ideoque suspecta esse debent si in Deum transferuntur. Testimonia Scripturae non cogunt : respiciunt enim ordinem exequutionis, non aeternam in Deo praedestinationem. At nulla pars revelatae doctrinae huc nos cogit ut asserere debeamus quosdam a priori fuisse electos, ceteros reiectos. Omnia scripta sunt, ut ad nostram salutem operari contendamus, et perditionem nobis, omne bonum quod assequimur divinae misericordiae tribuamus. — Puto autem frustra nos seiungere velle intentionem gloriae alicui conferendae, ad quam ut media gratiae praeparentur. Totus enim ordo rerum simul est coram Deo. Non ergo est opus cogitare alterutrum signatum ordinem de quo diximus ; sed spectare debemus divinam Providentiam, quae hunc rerum ordinem totum simul cognoscit, eligit, decernit exsistere. In hoc ordine dantur omnibus media salutis ; iis quidam efficaciter ducuntur ad vitam, quidam non ut deberent utuntur. Eos qui reipsa salvi fiunt dilexit magis Deus, hoc ipso quod hanc eventuum seriem ad exsistentiam ducere statuit. Voluit tamen et reliquos esse, utpote necessarios ad ordinem rerum vere ponendum ut ponitur. Omnes ad suam gloriam ordinatos voluit, vel priores ut vasa misericordiae, vel alios ut vasa irae in vindictam. — Salus priorum est opus a Deo intentum, et effectus suae gratiae ac virtutis ; perditio aliorum est aliquid permissum et consequens. Ergo in ordine exequutionis, tum salus tum damnatio consequuntur merita bona vel mala ; in ordine intentionis merita bona non sunt ullo modo causa cur Deus ita potius voluerit mundum esse quam aliter ; merita mala sunt a Deo non impedita. Ex quo concludimus primam eamque prorsus gratuitam electorum praedestinationem in eo esse quod hoc universum, hanc rerum dispositionem, in qua reipsa salvi fiunt qui salvi fiunt, voluit Deus ad exsistentiam perducere.

At esset ne alius mundus si hoc vel illud aliter esset, quo huius vel illius sors mutaretur? — Respondeo manere in hoc locum divinae Bonitati, res disponendi, etiam statuto ordine universali, ut illi placet ad salutem alicuius. Et in hoc gratuito prorsus facit Ille quod Sibi placet, praesertim in opere interioris gratiae, qua corda movet. Ergo et qui damnantur, perire sinuntur secundum communem legem quo mundus regitur; et in singulis electis operatur Deus pro bona voluntate sua. Hac nimirum praeter universales causas, singulares etiam et ultimas contingentias disposuit Deus; praesertim statuit quo ordine, qua mensura, per interiores gratias singulorum animos esset moturus. Utrumque vero ordinem et universalium exteriorumque eventuum, in quibus princeps est Christi redemptio, et singularium adiunctorum interiorumque gratiae motionum, propter Christi merita datarum divina praedestinatio complectitur.

Unde patet solutio difficultati ab initio positae (n. 90). Non esset voluntas Dei antecedens ut omnes salvi fiant, si praedestinatio aliquid poneret in praedestinato, quo sine salus obtineri non posset. At illa manet unice in Deo; et creaturae tribuit potestatem salutis, et efficaciter salvat quos salvat, et tantum non impedit quominus qui pereunt sua voluntate pereant. Quoniam ex Ipso et per Ipsum et in Ipso sunt omnia: Ipsi gloria in saecula. Amen.

INDEX ANALYTICUS

I. — NOTIO INCARNATIONIS

pag. 5-48.

PAG.

1. — Fidem in Incarnationem Verbi iam ab initio aevi christiani habitam esse constat ex Symbolo apostolorum — in quo secundae Trinitatis Personae et divina et humana tribuuntur — unum vero idemque esse subiectum harum praedicationum patet tum ex ipsa sermonis continuitate quae per relativum pronomen in latina et per seriem participiorum in graeca lingua exhibetur — tum ex constanti intellectione PP. p. 5.
2. — Tria distinguenda in mysterio Incarnationis — α) perfecta Iesu divinitas — β) eius perfecta humanitas — γ) eiusdemque perfecta unitas personae. — Singula haec capita haeresibus occasionem praebuerunt. Nam: — a) *inter eos qui divinitatem Christi sunt inficiati* — quidam, ut ebionitae et Cerinthus dixerunt Illum esse purum hominem — alii vel dixerunt Eum esse Aeonem quemdam, ut plures gnostici — vel creaturam perfectissimam, ut voluit Arius — b) *qui vero humanae naturae Christi detraxerunt* — vel putarunt eam esse fictam, ut docetae, seu phantasiastae — vel eam esse mancam: sive denegando animae Christi intellectum ut Apollinaris, vel voluntatem ut Sergius, vel negando absolute ipsam animam, cuius loco divinitatem posuere, vel affirmando corpus et animam seiuncta exsistere — c) *circa naturam vero unionis celebriores haereses exsistunt:* — quae commode ad duas classes revocari possunt — eorum sc. qui Iesum Christum duas personas esse dixerunt, ut Theodorus, Nestorius, Adoptiani et quidam alii mediae aetatis — et eorum qui naturas

PAG.

confuderunt ut Eutiches et Monophysitae. Modernistarum nulla fit mentio, cum hi non inter haereticos sed inter incredulos potius sint recensendi, p. 8.

3. — Priusquam rationem Incarnationis exponamus, hodiernum morem sequentes, factum ipsum locum habuisse demonstramus — porro, suppositis veritatibus in theologia fundamentali probatis circa Christi legationem — quaerimus quomodo et quo ordine Christi divinitas revelata sit, p. 9.

I. — **Demonstratur Christi divinitas** 11-37

A) — **Christi divinitas probatur ex V. T.** 11-19

4. — Quaecumque ad veterem religionem spectabant, ita a Deo disponebantur, ut vel futurum Salvatorem promitterent — vel figuris Eundem adumbrarent — vel prophetice enuntiarent — vel effectus redemptionis futurae exprimerent. — Vulgus V. T. non agnovit Messiam esse Dei Filium — hoc tamen notum fuisse sanctis et prophetis maiori lumine donatis, putandum est — (In N. T. haec veritas aperte iam ab initio ab ipso Iesu enunciata est — licet eam statim aperte discipuli non perspexerint) p. 11.

5. *a*) **Messiam promissum in V. T. iam advenisse** — probatur ex adimpletione prophetiarum quae de Illo factae sunt — ab Iacobo mox morituro — a Daniele — ab Aggaeo p. 12.

6. *b*) **Messiam qui iam venit, esse Iesum Nazarenum** — apparet ex testimonio Ieremiae — Isaiae — Malachiae p. 13.

7-9. *c*) **Hic Messias Deus est**

α) *Ostenditur ex V. T.* — 1) ex Ps. 2 — diluitur obiectio desumpta ex Hebr. 5, 15 et ex Act. 13, 32 — 2) ex Ps. 109 — 3) ex Isaia — solvitur argumentum in contrarium adductum — 4) ex Ieremia — ex Michaea p. 14.

10. β) *Haec eadem veritas clarior apparet consideratis textibus V. T. sub luce N. T.* — 1) Num. 21 et 1 Cor. 10, 9 — 2) Ex. 20; Dt. 32, 12; Iob. 4, 18; et 2 Petri 2, 4 — 3) Ps. 44 et Hebr. 1, 8 — 4) Ps. 67 et Eph. 4, 7 — 5) Ps. 96 et Hebr. 1, 8 — 6) Is. 6 et Io. 12, 37 — 7) Is. 41, 4 et Apoc. 1, 8 — 8) Is. 3, 13 et Luc. 2, 34; Rom. 9, 33; 1 Pt. 2, 7 — 9) Malach. 3, 1 et Mc. 1, 2; Mt. 11, 10 — 10) Is. 40, 3 et Mt. 3, 3; Mc. 1, 3; Lc. 3, 4; Io. 1, 23 p. 17.

B) **Christi divinitas probatur ex N. T.** 19-31

PAG.

11-16. 1) ex locis in quibus Filius Dei sensu vero et proprio appellatur — 2) ex attributis quae propria sunt unius Dei, quaeque de Eo praedicantur, uti cum Patre consubstantialitas, omniperfectio, immensitas, creatio, sanctificatio — 3) expresse dicitur Deus a S. Thoma, a S. Paulo, a S. Ioanne, a S. Luca: praesertim testimonium disertissimum habetur initio Ev. S. Io. ubi genesis mysterii quod tractamus quodammodo continetur — 4) tandem ipse Iesus ostendit se esse Deum, exhibens se ut dominum sabbati, totiusque naturae, ut supremum legislatorem, ut amandum super omnia; idque ex ipso modo sese gerendi Iudaeorum talia audientium comprobatur.

C) — **Christum Deum esse universa Ecclesia agnovit.** . 31-37

17-19. Hoc patet: 1) ex symbolis — 2) ex testimoniis martyrum — 3) ex definitionibus sollemnibus atque e damnationibus haereticorum.

II. — Demonstratur Christi humanitas 37-44

α) *in genere:* 20-21.

A) — **ex documentis Ecclesiae**: — ex epistola S. Leonis ad S. Flavianum — ex C. Calcedonensi — ex symb. athanasiano — ex Agathone papa — ex C. Constantinopolitano III p. 37.

B) — **ex Scriptura** — Nihil valere quae obiiciuntur in contrarium sive ex 2 Cor. 5, 16 — sive ex 1 Cor. 15, 45 ostenditur p. 38.

β) *in specie:*

22. — A) **De fide est Christum vere habuisse animam humanam** — quod constat tum ex damnatione Arii pro tota anima, et Apollinaris pro mente tantum, Verbum ponentium — solvitur obiectio Arii — probatur assertum contra Arium ex eo quod sine anima non constituitur homo et ex eo quod Verbum nequit esse corporis actus — probatur assertum contra Apollinarem ex actibus adorationis Christi in Patrem, ex integritate naturae humanae quam assumpsit, ex perfecta assimilatione Christi ad nos quoad humanitatem, ut nos sanaret p. 39.

23. — Radix huius erroris in trichotomia posita est quam PP. constanter reiecerunt — et Concilia non semel damnarunt p. 40.

24. Inutiles adversariorum conatus oggerentium locutiones Scripturae quibus dicitur Verbum caro factum vel simile

PAG.

quid — constat enim ex pluribus Scr. locis carnem, per sinecdochem, sumi pro toto homine — atque ad Christum quod attinet, nomine carnis designari totum id quo homo est: nomine vero spiritus, id quo Deus est et manifestatur p. 42.

25. — B) **De fide etiam est in Christo animam corpori fuisse coniunctam sicut in ceteris hominibus** — secus humana natura destruitur — idque PP. docuere.

— C) **Carnem Christi fuisse e nostra terra acceptam**, non vero extrinsecus allatam liquet ex divina B. V. maternitate p. 43.

26-27. **Scholion de historico errore Nestorii**. 44-48

Inutiles labores quorumdam recentiorum Nestorium ab haereseos labe purgare conantium — ex operibus ipsius Nestorii quid ipse docuerit liquet, sc.: — unicitatem personae in Christo non haberi — unionemque hypostaticam ad unionem mere moralem reducendam esse p. 44.

27. — Quid Nestorius *negaverit:* — Deum esse natum et passum — Mariam esse Deiparam — Deum esse factum pontificem nostrum — quae omnia ad negationem unitatis substantialis tandem reducuntur. — Quid idem *affirmaverit:* — inhabitationem Dei in viro Iesu. — *Errorem occultare conatus est:* — confundendo concreta cum abstractis — distinguendo inter Filium Dei qui factus est homo hominemque Iesum — diversam suppositionem tribuendo nominibus: *Filius, Dominus, Christus:* — unitatem personae in Christo, redigendo ad meram unitatem moralem p. 45.

II. — UNIO HYPOSTATICA ASSERITUR

pag. 49-68.

28. — Duo errores sunt hic praecipue vitandi: Nestorii sc. et Eutichetis — Stabilientes ipsum dogma, abstrahimus ab expolitioribus notionibus personae — illamque, iuxta communem acceptionem dicimus: *subiectum praedicationum* — quod sc. de nullo praedicatur, de quo vero praedicantur quaecumque praedicantur. — Hac notione posita, dicimus de fide esse, unicam esse in Christo, Deo et homine, personam; eamque divinam p. 49.

PAG.

29-30. A) — **Est in Christo Deo et homine unica persona** — Probatur: 1°) ex initio Ev. Ioannis — dicitur enim Verbum homo — nulla autem persona potest in recto de alia praedicari — 2°) ex Philipp. 2, 6-7 — 3°) ex communicatione idiomatum. — Nestorianis obiectionibus fit satis p. 50.

31-34. B) — **Iesus Christus ita est unus, ut Filius Dei ipse sit homo, et homo natus ex M. V. ipse sit Deus.** — probatur: 1°) ex symbolis — 2°) ex Conciliis Ephesino, Chalcedonensi, Constantinopolitano III — 3°) ex Patribus: Irenaeo, Tertulliano, Origene, Clem. Rom., Ignatio, Polycarpo, Auct. ep. Barnabae, Greg. Nazianz., Greg. Nyss., Hyppolito — qui omnes cum tempus Concilii tum Ephesini tum Nicaeni antecedant, antiquam fidem ostendunt — Difficultatibus desumptis ex quibusdam minus selectis locutionibus, fit satis p. 53.

35. C) — **Hanc Christi unitatem, sive hanc Verbi atque humanae naturae unionem secundum hypostasim factam, Concilia definiverunt: quo pacto ipsa unionis hypostaticae affirmatio ad fidei catholicae professionem pertinet** — patet hoc ex definitionibus Conc. Ephes. — Chalcedon. — Constantin. p. 58.

36. — Unio hypostatica, in praesenti, idem est ac unio substantialis, prout opponitur accidentali — sc. illa est quae postulat unum subiectum — non unam naturam — quod sit substantialiter unum p. 60.

37. — Haec unio non habetur per mutationem ullam Verbi — neque per mutationem eorum quae ad rationem formalem humanitatis spectant. — Absurdum tamen in hoc intellectus non deprehendit modo consideret ad substantiam pertinere etiam modum quo ipsa exsistere debet — qui modus tamen illam intrinsece non constituit — ideoque contradictionem non esse in hoc quod substantiae, in sua essentia immutatae, tribuatur modus exsistendi superioris Personae illam ad se trahentis. — Haec unio dicta est hypostatica — hancque Concilia definiverunt p. 62.

38. — Difficultates solvuntur p. 63.

III. — QUAESTIO DE SUBSISTENTIA

pag. 69-181

PAG.

SCOPUS TRACTATIONIS 69-70

ART. 1. — **Utrum persona sit idem quod suppositum** . 70-73

1) Videtur quod sic, quia utrumque dicit singulare positum sub natura communi. — 2) Videtur autem quod non, quia Nestorius concessit Christum esse unam personam, non vero unum suppositum — 3) et prima opinio apud Magistrum ait humanitatem Christi esse suppositum distinctum a Verbo, non vero personam ab eodem distinctam.

Assertio — *Persona non aliud est quam suppositum intellectualis naturae* p. 71.

Probatur: *a*) ex usu loquendi: nominamus enim personam substantiam singularem individuatione et concretione sua in se constitutam — *b*) ex dignitate qua natura intellectualis speciale nomen suo individuo meretur — *c*) ex ipsa vocis origine. — Unde suppositum se habet ad personam sicut genus ad speciem.

Respondetur obiectionibus: — Ad 1^{m}): persona convenit cum supposito in singularitate; differt ab eo in dignitate — ad 2^{m}): persona sumpta fuit a Nestorio sensu morali non physico — ad 3^{m}): hi auctores, materialiter, haeresi nestorianae erant addicti p. 72.

ART. II. — **Utrum suppositum bene definiatur:** *Subsistens distinctum.* 73-80

Videtur quod non, quia: 1) nomen suppositi est logicum. — 2) Vetustior notio, illud exhibet ut individuum cuiuscumque naturae. — 3) Substantia prima, quae est suppositum, non opponitur substantiae secundae ratione subsistentiae quae, iuxta Boethium, potius huic quam illi competit. — 4) Anima humana separata, subsistit et est distincta, nec tamen est suppositum. — 5) Essentia divina absoluta, cum sit maxime subsistens et distincta, esset suppositum. — **In contrarium est** auctoritas S. Thomae.

Assertio: *Optime suppositum definitur:* **subsistens distinctum** p. 74.

Probatur: *a*) quia suppositum vocatur id quod in rebus perfectissimo modo habet esse: tale autem est quod in se exsistit et est subiectum omnium praedicationum sc. quod

PAG.

proprie subsistit. — Duplex subsistentis acceptio : in vi nominis et in vi participii, sive asserentis exercitium actualis exsistentiae substantiae, sive designantis rem etiam in ordine possibilium, et connotantis proprium actum quo substantia in se exsistit et non in alio — quo ultimo sensu sumitur τὸ *subsistens* in definitione suppositi — *b*) quia ad habendum vere suppositum necesse est ut ab eius ratione excludatur communicabilitas partis sive essentialis sive integralis ; communicabilitas qua Essentia Divina tribus relativis inter se distinctis tribuitur ; et communicabilitas qua humanitas Christi a Verbo assumitur ita ut fiat aliquid Eius.

Respondetur obiectionibus. — Ad 1^{m}) : distinguendo originem nominis et eius significationem — ad 2^{m}) : concedendo factum, sed ostendendo nostram definitionem priori esse anteferendam — ad 3^{m}) : substantia prima, si accipitur ut subiectum denominationum, est ipsum suppositum : si accipitur ut substantia singularis, formaliter non est — ad 4^{m}) : ratio est quia deficit et in virtute exercendi omnes facultates quarum est principium, et quia est pars compositi quod nata est constituere — ad 5^{m}) : negatur sequela quia Essentia Divina communicatur tribus distinctis p. 77.

ART. III. — **Utrum suppositum idem sit quod singularis substantia** 80-86

Videretur affirmandum quia : 1) Substantia singularis est subsistens et distincta — 2) Quod ponitur sub specie est ipsum singulare — 3) Substantia singularis materialis in compositis est id quod in simplicibus est sola forma : porro in his, teste S. Thoma, sola forma est qua subsistit. — **In contrarium est** expressa S. Thomae doctrina.

Assertio : *Suppositum a natura etiam singulari, formaliter differt : at materialiter seu secundum entitatem, quae reipsa importatur, suppositum (ea tantum complectens quibus intrinsece constituitur) non est idem ac singularis substantia, si id* **quod est** *includit ipsum actum* **quo est** *seu subsistit : potest dici idem esse, si id* **quod est,** *actum* **quo est** *dumtaxat connotat* p. 81.

Probatur. — Suppositum a natura formaliter differre patet, quia *illud* esse habet, *haec* vero est id secundum quod alicui competit esse. — Ut declaretur habitudo naturae ad sup-

PAG.

positum, consideranda est eius habitudo ad singulare — circa quod retinendum est: — 1° in simplicibus naturam esse ipsum simplex; in compositis vero, ipsi essentiae addi determinationem principiorum individuantium — 2° distinctionem inter naturam et individuationem non esse realem sed rationis; quod probatur: — *a*) ex eo quod secus exsisteret universale a parte rei — *b*) ex eo quod sub diversis rationibus possumus considerare naturam relate ad individuum, et ut formam determinantem et ut potentiam determinatam — *c*) ex expressa Aquinatis doctrina — 3° quare unicum discrimen inter substantias simplices et compositas est in hoc quod in his natura debet determinari ad individuationem, in illis vero nequaquam. — Substantia vero creata singularis, sive simplex sive composita, eodem prorsus modo ad suppositum se habet: sc. differt secundum rem a supposito considerato cum omnibus quae ad ipsum pertinent — si vero suppositum consideratur secundum ea tantum quibus intrinsece constituitur, si actum essendi includit, differt secundum rem ab essentia sicut differt essentia ab actu quo est — si actum essendi solum connotat, non re suppositum a singulari substantia distinguitur — unica vero distinctio inter ea exsistens in hoc est, quod substantia *postulat*, suppositum vero *habet* sive exercite sive connotative, esse in se.

Satisfit obiectionibus: — Ad 1[m]): patet responsio ex dictis: solum notetur sive ordini possibili sive reali notiones traditas applicandas esse — ad 2[m]): dicendum quod in praedicamento ponitur substantia prima per se et ratione sui: suppositum vero, ratione naturae — ad 3[m]): negatur suppositum: nihil enim refert scire quo pacto natura evadat singularis, sed quo pacto singularis natura se habeat ad exsistentiam p. 85.

ART. IV. — **Utrum suppositum formaliter naturae addat aliquod negativum, seu formaliter in negatione consistat** 87-95

Videtur quod sic, quia: — 1) Ratio formalis suppositi sita est in unitate quae est notio negativa — 2) Suppositum est substantia singularis cum negatione iunctionis — 3) Humanitas Christi propria personalitate destituta est non defectu alicuius realitatis, sed accessione novae perfectionis — 4) PP. dicunt humanitatem etsi perfectam perfici potuisse per solam unionem cum Verbo — 5) Ipse

PAG.

S. Th. dicit suppositum esse singulare in genere substantiae quod dicitur hypostasis vel substantia prima — 6) Ipse D. A. explicite asserit Christi humanitatem non esse hypostasim, eo dumtaxat quod alia illi advenit sc. substantia divina — 7) Optime ratio suppositi explicatur per hoc quod dicimus haberi aliquod totum et non partem. — **In contrarium est** doctrina S. Thomae tribuentis supposito maximam perfectionem quae in negatione non videtur posse consistere.

Assertio — *Ratio formalis suppositi, quae a substantiae notione alia est, prout dicit subsistentiam distinctam, perfectionem dicit; neque notiones totius et partis quidquam explicant, nisi assignetur actus entitativus, secundum quem pars vel totum habetur* p. 88.

Probatur — Ratio suppositi et ratio substantiae diversae sunt in modo exsistendi et in perfectione quam hic modus importat — cum suppositum in sui ratione subsistentiam includat, quam substantia sibi competere tantum dicit. — Totius et partis notiones certum rerum genus transcendunt — totumque non intelligitur nisi actus entitativus aliquis assignetur — nihilque dicitur aiendo humanitatem Christi non esse totum in ratione suppositi si hoc nomine designatur sola realitas substantiae. — Imo, si talis notio adhibetur ad declarandam unionem hypostaticam, ea declaratio *nulla* est cum in manifesto circulo volvatur — atque insuper *absurda* videtur cum 1°) posita identitate inter substantiam singularem et suppositum contradictorium sit dicere humanitatem Christi immutatam esse in ratione substantiae et mutatam in ratione suppositi — cumque 2°) tali explicatione, unio hypostatica omnino accidentalis reddatur.

Respondetur obiectionibus — Ad 1^{m}): talis ratio est inadaequata — ad 2^{m}): verum hoc est, dummodo intelligatur actus realis et positivus in quo talis negatio fundetur — ad 3^{m}): conceditur propositio quoad ea quae perfectionem quidditatis sive substantialis sive accidentalis spectant: negatur quoad actum quo res illa exsistit — ad 4^{m}): PP. illa locutione vage atque indeterminate assignant rationem qua fieri potest ut substantia integra adiungatur divinae Personae — ad 5^{m}) et 6^{m}): suppositum non differt quidem intrinsece a substantia prima, sed differt om-

PAG.

nino in connotatione ipsius esse — ad 7[m]) hoc potest admitti sumendo partem et totum reali significatione: ponendo scl actum secundum quem haec nomina dicantur: minime vero ab hoc actu praescindendo p. 91.

Scholion — De inanitate sententiae refutatae p. 95.

Art. V. — **Utrum subsistentia sit modus substantiae iam exsistenti additus** 96-104

Rationes pro sententia affirmante: — 1) Subsistentia est realitas quaedam determinativa substantiae ab eaque distincta et inseparabilis; talis autem est modus quem propugnamus. — 2) Subsistentia affert perfectionem supposito vel personae: sed non perfectionem substantialem vel accidentalem, ergo modalem. — 3) Paritas cum miraculosa conservatione accidentis sine subiecto in Eucharistia. — 4) Necessitas distinguendi per aliquam realitatem suppositum a substantia singulari. — 5) Similitudo huius sententiae cum sententia S. Thomae. — **Sed contra est** quod Angelicus nunquam et nusquam talia docuit.

Assertio — *Perfecta substantia, quae proprio actu exsistere intelligitur, nulla ulteriori realitate in ordine substantiali compleri postulat, vel etiam potest* p. 97.

Probatur. — 1°) Quia inter substantiam et accidens non datur medium — modi substantiales nullam realitatem a subiecto distinctam afferunt: sunt enim vel determinationes entis in sua formali ratione, vel gradus metaphysici, vel diversae considerationes eiusdem subiecti in ordine ad motum vel ad esse vel ad accidentia — 2°) Quia repugnat entitas qua substantia iam per se exsistens determinetur ad esse per se — 3°) Quia non apparet quid addendum sit substantiae singulari naturaliter exsistenti ut verificetur notio suppositi — 4°) Multoque minus intelligitur entitas modalis qua substantia sua subsistentia destituta, unita superiori supposito, evaderet humanitas Verbi; cum nulla entitas creata afficiens humanam naturam, possit attingere Divinam Personam.

Solvuntur difficultates. — Ad 1[m]): dicendum quod modi isti vel identificantur cum substantia vel mera accidentia sunt — ad 2[m]): quod perfectio suppositi est in modo habendi proprium esse, non vero in aliquo ad ordinem essentiae pertinente — ad 3[m]): reponimus similitudinem quidem utrobique inveniri in habitudine ad modum exsistendi qui

PAG.

diversus est a connaturali, quin tamen necessarium sit adstruere entitatem ullam modalem — ad 4^m): ex mysterio Incarnationis nulla eruitur necessitas ponendi novam realitatem in supposito, sed solum illud a substantia distinguendi — ad 5^m): hoc arbitrarie et contra ius omne dici: caputque erroris in falsa imaginatione principiorum entium reponi p. 100.

Scholion. — De causis praecipuis refutatae sententiae p. 104.

Art. VI. — **Utrum subsistentia in aliquo modo substantiae exsistentiam praecedente sita sit.** 105-117

Rationes pro parte affirmativa: — 1) Substantia singularis indeterminata est ad exsistendum in se vel ad assumptionem ab alio supposito — 2) Suppositum constitutum est antequam habeat esse: *a* quia potest spectari in ordine possibilium — *b)* quia ponitur in praedicamento, in quo non ponitur esse — *c)* quia subsistentia, non autem exsistentia est de formali ratione suppositi — 3) Antecedenter ad esse requiritur omnimoda determinatio, quae per solam substantiam non habetur: sicut ergo linea per punctum, ita substantia per subsistentiam terminatur — 4) Accidentia et exsistentia non recipiuntur in natura sed in supposito — 5 Ipse S. Thomas ait quod ibi tantum identificatur suppositum et natura, ubi nullum potest accidens recipi — 6) Sicut non generatur sola forma partis, sed compositum; ita non generatur forma totius: ergo alia singularitas invenitur in supposito quae non est in natura — 7) Recipere contraria et substare accidentibus est proprietas substantiae et non prima ratio illius; igitur substantia compleri debet — 8) Subsistentia seu terminus *qui,* praesupponitur exsistentiae, nec est confundenda cum termino *quo,* seu natura: ergo ab utraque distinguitur — 9) Haec est sententia S. Th. docentis: *a)* suppositum esse *quod* est; naturam, ut *quo* suppositum est — *b)* suppositum esse subiectum filiationis et attributionis, non vero naturam — *c)* exsistentiam, licet non sit de eius ratione, sicut nec est de ratione naturae, pertinere ad suppositum; subsistentiam vero esse de ratione suppositi — *d)* esse consequi suppositum, subsistentiam vero illud constituere. — **Sed contra est** quod nulla realitas media est inter substantiam et accidens; nec unquam Philosophus et Angelicus doctor talia docuere.

PAG.

Assertio — *Nulla ratione opus est ut reali addito termino, substantia singularis fiat receptiva sui esse: nec, si tale quid poneretur, vel in eo formalis subsistentia sita esset, vel ultima ratio suppositi* p. 107.

Probatur — 1⁰) lisdem rationibus quibus articulo praecedente exclusi sunt modi distincti a realitate substantiali vel accidentali — 2⁰) modus qualis nunc invehitur frustra est inventus ut patebit ex solutione difficultatum — 3⁰) inutilis est quia essentia iam est determinata per suam singularitatem — 4⁰) male confunditur cum subsistentia quae nunquam fuit determinatio substantiae sed actus exsistentiae eiusdem.

Solvuntur obiectiones: Ad 1ᵐ): substantia singularis naturaliter determinata est ad proprium esse; nec nisi per mysteriosum portentum ad aliud esse in unione hypostatica tracta est — ad 2ᵐ) *a*): suppositum potest considerari etiam in ordine possibilium, dummodo non fiat praecisio a connotatione propriae exsistentiae quam dicit — *b*) suppositum ponitur in praedicamento ratione essentiae, non ratione exsistentiae — *c*): subsistentia sumitur a nobis pro actu exsistentiae substantiae: ac proinde idem est cum exsistentia — ad 3ᵐ): omnimoda determinatio habetur: tum specifica per rationem formalem essentiae, tum numerica per principia individuantia: similitudo puncti relate ad lineam nil facit: illud enim de facto non est nisi negatio ulterioris extensionis — ad 4ᵐ): verum hoc esse si de natura abstracta intelligatur, falsum si de concreta et singulari — ad 5ᵐ): exinde sequi suppositum differre aliquomodo a natura: minime vero differre per realitatem, quae *esse* antecedat — ad 6ᵐ): negatur suppositum: non enim partes, sed totum est quod subsistit — ad 7ᵐ): negatur consequentia — ad 8ᵐ): difficultas hoc tantum probat requiri subiectum quod reale esse acquirat: non vero novas entitates — ad 9ᵐ) *a*): sumit sc. naturam abstracte vel ut partem: suppositum vero concrete vel ut totum — *b*): quia talia non partibus vel rationi abstractae tribuuntur — *c*) et *d*): esse non est de ratione sive naturae sive suppositi quia nulli rei finitae essentiale est: cum vero dicitur subsistentia esse de ratione suppositi, non intelligitur ut forma partis, sed ut forma totius in ordine exsistentis p. 111.

PAG.

ART. VII. — **Utrum subsistentia idem sit ac propria existentia substantiae** 117-130

Videtur quod non. Etenim: 1°) Subsistentia idem est ac suppositum vel persona: dicimus enim in Deo esse tres subsistentias — 2°) Anima humana licet habeat propriam exsistentiam non est suppositum — 3°) Subsistentia perfectionem importat: exsistentia vero nequaquam: insuper dignitas personae non ab exsistentia sed ab eo quod praesupponitur illi, intelligitur — 4°) Subsistentia est de ratione suppositi: exsistentia minime — 5°) Subsistentia confert incommunicabilitatem: non autem exsistentia. — **In contrarium est** auctoritas S. Thomae, expresse in I, d. 23, q. 1, a. 1; et 9 de pot. a. 1; et I, q. 29, a. 2; definientis subsistentiam ut propriam substantiae exsistentiam.

Assertio — *Subsistentiae nomen concrete et abstracte accipi potest. Si concrete, idem est ac hypostasis: si abstracte, iterum duplicem significationem habet, nempe vel ut forma totius vel ut forma partis. Si accipitur ut forma totius, idem est ac ratio hypostatica, ea complectens quibus hypostasis intelligitur constituta, non secus ac humanitas dicit principia quibus constat homo. Si accipitur ut forma partis, dicimus subsistentiam non aliud esse, quam ipsam exsistentiam, qua aliquid primo est, sicut substantiae competit, non in alio vel ut accidens vel ut pars* p. 122.

Probatur. — Subsistentia non eandem significationem obtinuit apud omnes, labentibus saeculis. — Initio concrete sumpta est pro supposito vel persona: quo sensu usum est hoc vocabulo Conc. Later. et Ephes. — decursu tamen temporis et praesertim apud S. Th., nomen subsistentia sumptum est abstracte pro forma subsistentis — hoc autem dupliciter: vel ut forma totius, sc. ut ratio abstracta compositi exhibens nimirum omnes eius partes essentiales secundum formalem rationem — vel ut forma partis sc. ut actus receptus in potentia, quam determinat. — Sumendo subsistentiam pro forma partis, dicimus eam nihil aliud esse quam propriam exsistentiam substantiae — ratio est quia per talem actum verificatur definitio suppositi: — *a*) verificatur prima pars. sc. subsistens, quia per exsistentiam, substantia revera exsistit in se — *b*) verificatur altera pars, sc. distinctum, quia per actum quo est, omne ens habet quod sit unum in se et ab aliis divisum.

PAG.

Respondetur obiectionibus — 1) Responsio patet ex dictis — 2) Ratio ob quam anima humana non est suppositum est quia non habet esse in se tanquam in integro subiecto: ideo deficit a nota distinctionis quae ad suppositum necessaria est — 3) Perfectio personae non ex perfectione essentiali, sed unice ex ordine ad esse in praesenti demetitur — 4) Exsistentia non est de ratione suppositi si sumitur in actu exercito; est autem, si signate et una cum essentia accipiatur — 5) Simpliciter falsum hoc esse, asserimus p. 127.

ART. VIII. — **Utrum notio subsistentiae mutari debeat propter fidem Incarnationis.** 130-136

Videretur affirmandum ob sequentes rationes: — 1) Sola ratio non distinxisset realiter suppositum a natura singulari — 2) Multoque minus agnovisset realem unius ab altero separationem — 3) Plerique ita sentiunt. — **In contrarium est** unanimis praxis doctorum Ecclesiae.

Assertio. — *Iure S. Thomas suppositi et subsistentiae formalem conceptum retinet, quem ratio ex natura colligit: quae vero ceteri attulerunt ad notionem subsistentiae mutandam, quo unionem hypostaticam explicarent, vel falsa sunt, vel nullam habent utilitatem* p. 131.

Probatur. — 1°) Ostendendo distinctionem saltem formalem quam solo rationis lumine adstruere debemus inter naturam individuam et hypostasim — 2°) Determinando punctum quaestionis in mysterio Incarnationis, simulque attendendo nomina personae, suppositi etc. non aliquam entitatem per se afferre, sed solum designare sub peculiari ratione id quod aliunde ex principiis entis constitutum est — 3°) Ostendendo rectitudinem doctrinae S. Thomae et falsitatem vel inanitatem aliarum explicationum.

Solvuntur difficultates: — Ad 1^m: sola ratio adinvenisset certe distinctionem rationis inter naturam singularem et concretam et suppositum: quare non de immutando sed solum de magis perficiendo conceptu ageretur — ad 2^m: formalis notio suppositi non per hoc mutatur — ad 3^m: responsum est in corpore articuli p. 135.

ART. IX. — **Utrum Verbi Incarnati sit unum esse** . . 136-150

Videtur quod non: 1) Humanitas Christi, ut distincta a Verbo habet propriam entitatem — 2) Humanitas Christi creata est — 3) eiusque creatio assumptioni praesuppo-

nitur — 4) Per generationem humanam Verbo Dei novum esse est acquisitum — 5) Non maius est inconveniens in hoc quod plura supposita conveniunt in uno esse, ut in Trinitate, quam binae exsistentiae vel binae essentiae in uno supposito — 6) PP. et CC. nunquam unitatem exsistentiae sed potius dualitatem eiusdem asseruerunt — 7) Posita humanitate in Verbo per esse ipsius Verbi, humanitas fieret verum accidens — 8) Humanitas Christi non potest produci ita ut ordinetur ad subsistendum in alio — 9) Haec explicatio fundatur in salebrosa et controversa quaestione de distinctione inter essentiam et esse — 10) In hac sententia unio terminaretur ad aliquid quod est commune tribus, ad esse; non ad id quod est uni proprium. — **Sed contra est** quod unitas simpliciter qualis est in Christo non patitur duplicem actum substantialis exsistentiae.

Assertio. — *Notae omnes et proprietates suppositi necessario evincunt in Christo Domino unitatem substantialis essentiae, quae alia non potest esse ab esse Verbi* p. 138.

Praenotandum. — Non assumimus in probationibus quae sequentur, realem distinctionem inter esse et essentiam in rebus creatis: sed solum hoc quod a Fide recipimus unum sc. esse in Verbo Homine utriusque naturae suppositum.

Probatur. — 1°) ex unitate actus quo constituitur suppositum — 2°) ex eo quod humanitas in Christo suppositum esse nequit — 3°) ex unitate substantiali Verbi cum humanitate — 4°) ex communicatione idiomatum — 5°) ex eo quod iuxta communem PP. et Theologorum loquendi modum, humanitas se habet ut partem in unione hypostatica — 6°) ex necessitate assignandi aliquem actum in quo et Verbum et humanitas communicent — 7°) ex necessaria mutatione humanitatis in ipsa unione.

Difficultatibus fit satis. — Ad 1^m^) potentialis humanitatis entitas non constitui intrinsece per realitatem Verbi conceditur: non constitui in actu suae realitatis per esse Verbi negatur — ad 2^m^) creata est ad participandum esse Verbi, non ad exsistendum per proprium actum — ad 3^m^) creatio humanitatis Christi praesupponitur assumptioni, logice; quia esse cogitatur prius et facilius: secundum vero ordinem realem praesupponitur vel non, secundum oppositas cau-

PAG.

salitates materialem sc. et formalem, ita tamen ut in nullo instanti rationis fuerit homo, cum esse in actu ut quid positum extra causas, sequutum sit pro humanitate assumptionem ad Verbum — ad 4m) humana generatione novum aliquod esse essentiae, non vero exsistentiae, acquisitum est Filio Dei — ad 5m) transmisso exemplo de Trinitate ubi unum esse est commune tribus, distinctis per relativam oppositionem non per absolutam entitatem, respondetur plura esse secundaria et accidentalia convenire posse in uno supposito, minime vero plura esse substantialia; negatur vero paritas cum binis naturis — ad 6m) PP. asserunt quod fidei est sine ulteriori disquisitione: cum vero duplicem in Christo exsistentiam affirmant, realitatem tantum utriusque naturae significant — ad 7m) humanitas non fit accidens quia essentia eius non mutatur: nec accidentaliter Verbo advenit, quia ad communicationem eius esse trahitur — ad 8m) dictum illud verum est solum ubi ordinatio non distinguitur a reali modo habendi esse — ad 9m) responsum est in praenotando — ad 10m) respondetur non agi hic de modo formalis terminationis ad Verbum: difficultatemque hac in re in omnibus declarationibus inveniri; in nostrae autem oppositis, absurdum difficultati addi p. 145.

ART. X. — **Utrum unitatem ipsius esse in Christo S. Thomas affirmaverit** 150-166

Videtur negandum, quia: 1°) Explicite asserit duo esse in Christo in quaest. disp. de Unione Verbi 2°) cumque in Summa unicum esse in Christo asserit, non hoc facit ubi doctrinam de veritate Incarnationis tractat., sed solum ubi de recta loquendi norma — 3°) Cum dicit unum esse tribui debere Christo, intelligit esse suppositi — 4°) Ipsi thomistae distinguunt exsistentiam a subsistentia — 5°) Ipse S. Th. affirmat humanitatem Christi nullo carere quo decidat a ratione personae — 6°) eandemque humanitatem futuram hominem, absque ulla additione, si a Verbo separaretur — 7°) Ipse S. Th. ad summum suam doctrinam ut probabilem proponit — **In contrarium est** evidens litera et unanimis assertio sectatorum S. Th.

Assertio. — *Dubio procul S. Thomae unicum, illudque divinum, esse posuit in Christo: quam tamen sententiam, ut conclusionem ratione deductam, non ut dogma fidei tradidit* p. 151.

PAG.

Probatur. — 1°) Ex significatione vocis subsistentia apud eum — 2°) ex munere quod tribuit actui essendi relate ad suppositi unitatem — 3°) ex eo quod in hac disputatione de Christo non aliud esse agnoscit praeter illud quod vel substantia vel accidens actu constituuntur, nulla mentione unquam facta de actu aliquo alio essendi suppositi vel personae — 4°) ex unitate actus essendi quem animae et corpori communem dicit — 5°) ex eo quod unitatem suppositi non ab operatione sed ab esse derivat — 6°) ex manifesta eius doctrina in Comm. Sent., in Quodl., in Summa.

Respondetur obiectionibus: — Ad 1m): dubitare licet de genuinitate illius quaestionis: utcumque tamen res habeat, iuxta sanam hermeneuticam, non clariora per obscura, sed vicissim obscura per clariora interpretanda sunt. Esse ibi intelligi prorsus debet de esse essentiae — ad 2m): negatur ibi egisse S. Th. de ratione loquendi — ad 3m): esse quo suppositum est, nullimode apud S. Th. distinguitur ab esse quo natura in sua realitate ponitur — ad 4m): responsum est in corpore articuli — ad 5m): dicendum humanitati Christi nihil deesse quod spectat naturae rationem: deesse tamen propriam actualitatem et exsistentiam — ad 6m): respondetur hoc ita affirmari quia in tali hypothesi illa humanitas haberet tunc suum esse e principiis essentiae sub universali Dei causalitate resultans — ad 7m): S. Th. non proposuit suam doctrinam ut Ecclesiae dogma, licet eam deduxerit e veritate fidei p. 163.

ART. XI. — **Utrum esse divinum potuerit humanae substantiae communicari** 166-172

Videtur quod non, quia: — 1°) Fieret veri nominis forma — 2°) Divinitas non potest esse aliquid intrinsecum rei creatae — 3°) Causae intrinsecae nequeunt suppleri — 4°) Posito hoc, potuisset esse divinum supplere et alias formas — 5°) Actuasset etiam partes quae durante vita mortali accesserunt et recesserunt, necnon accidentia. — **Sed contra est** quod unio cum Deo in patria, comparatur saepe cum unione hypostatica: et illa fit secundum operationem, haec autem secundum esse: sicut ergo in priori Essentia divina actuat mentem intelligibiliter; ita in altera, vice fungitur creatae exsistentiae.

PAG.

Assertio: *Ipsa puritas divini Esse facit ut illud queat respectu creatae naturae praestare quod purae actualitatis est* p. 167.

Probatur: — Qua via theologi pervenerunt ad affirmandam actuationem mentis creatae per divinam Essentiam in visione beatifica — exemplum de anima humana actuante corpus, ad declarandam non repugnantiam formae actuantis subiectum capax, citra receptionem ac limitationem in ipso — idipsum dicatur de unione hypostatica.

Respondetur difficultatibus. — Ad 1[m]) et 2[m]): advertendo Verbum manere humanitati extrinsecum distinctione entitatis, intrinsecum vero fieri formali effectu quem obtinet — ad 3[m]): causae intrinsecae nequeunt suppleri in ordine ad compositum constituendum: quaedam tamen possunt suppleri in ordine ad supplendum influxum unius principii in aliud — ad 4[m]): negatur paritas: esse enim nihil aliud facit nisi actuare id quod per principia intrinseca constitutum est — ad 5[m]): nulla est in hoc manifesta absurditas p. 170.

ART. XII. — **Utrum unio secundum esse terminetur ad Personam unam prae alia.** 172-181

Videtur quod terminetur ad ipsam Naturam: nam: 1[0]) Natura divina identificatur cum esse quo Personae subsistunt — 2[0]) Unio haec, si facta est in esse, est facta formaliter secundum aliquid quod Personarum distinctionem in Deo ratione praevertit — 3[0]) Cum unio hypostatica referatur ad unum Verbum, terminari debet primo et formaliter ad relationem et non ad esse — 4[0]) Nec dici potest quod terminatur ad divinum Esse ut modificatum relatione Filii; quia tunc, cum esse commune sit, sicut evenit in iis quae per appropriationem dicuntur, unio re competeret tribus et non uni Verbo — 5[0]) Sicut suppositum creatum ratione prius individuatur quam sit, ita humanitas Christi, priusquam sit, individuationem habet qua ad Verbum pertinet. — **Sed contra est** quod respectu humanitatis nihil substantiale intelligi potest praeter substantiam ipsam et actum quo est; porro unio hypostatica attingit substantialiter humanitatem, at non secundum substantiam; ergo secundum esse.

Assertio. — *Cum de ordine rationis tantum, et non de ulla reali causalitate agatur, dicimus humanitatem ut in re con-*

PAG.

stitutam, prius ad subsistentiam; ut ad Filium terminatam, prius ad personalem proprietatem tractam fuisse p. 173.

Praenotandum. — Difficultas quaestionis non est maior in nostra quam in alienis sententiis.

Probatur. — Verbum subsistit in humana natura extendendo suum esse ad humanitatem — et per hoc, primam suppositi notam sc. subsistens, habemus; — alia vero nota, sc. distinctum, in eo esse debet, quod humanitas illa, licet per divinum esse actuata, non possit praedicari nisi de solo Filio — Hoc autem verificatur per hoc quod humanitas Christi actuatur ab esse divino, non prout est essentiae, sed prout est personae — Talis explicatio non laedit divinam simplicitatem — Quare dici debet relationem Filii in facto esse ad humanitatem quodammodo extendi — et ita quidem quod tanquam *subsistens* sit humanitati ratio existendi — tanquam *sic subsistens,* sit humanitati ratio cur sit exclusive Filii — Animadversio in p. Pesch. — Humanitas Christi, considerata secundum rationem subsistentiae, prius concipitur ut particeps divini Esse quam terminata ad relationem Filii — contrarium vero evenit, si consideretur secundum rationem distinctionis — Determinare autem quid realis entitatis inveniatur in illa humanitate, quo ad Filium prae Patre et Sp. S. ipsa terminetur, impossibile nobis est — Illud tamen est certum, assumptionem humanitatis ad Deum, respicere personam, non naturam — ita ut etiamsi Deus esset personaliter unus, unio hypostatica intelligeretur quin naturam attingeret — aut si tota Trinitas incarnata fuisset, unio non respiceret naturam sed personas, nec immediate terminaretur ad Deum ut unum sed ut trinum.

Respondetur obiectionibus: — Ad 1^{m}) natura et persona in Deo sunt idem re, sed differunt secundum modum significandi — ad 2^{m}) negatur suppositum: unionem sc. respicere prius ipsum esse quam modum secundae Personae: unio enim vel terminatur ad esse ut est Filii, vel ad filiationem ut est subsistens — ad 3^{m}) debet terminari primo et formaliter ad relationem ut est subsistens, non vero ad relationem ut est relatio — ad 4^{m}) Verbum communicat humanitati subsistentiam prout habet oppositionem ad Patrem et Sp. S.: quo fit ut humanitas habeat

PAG.

quidem esse absolutum, sed ut terminatum ad Filium — ad 5[m]) negatur paritas quia suppositum naturale praecedit sua constitutione actualem exsistentiam sola ratione causalitatis materialis: at subsistentia aufertur ab humanitate Christi quae actuatur per esse divinum relativo modo habitum, unde nulla alia prioritas alterutrius rationis assignari potest, quam nuper declarata p. 179.

Scholion — Conclusio totius quaestionis, p. 181.

IV. — DE GRATIA CHRISTI

p. 183-206.

39-40. — Triplex gratia in Christo: — *unionis* — *singularis* — *capitis*.

1) De gratia unionis 183-189

Gratia unionis sanctificat exigitive et partim etiam formaliter humanitatem assumptam.

Eam sanctificare exigitive certum est — *a*) ratione operationum humanae voluntatis Verbo tribuendarum — *b*) ratione decentiae qua convenit ut anima Deo unita secundum esse, illum attingat etiam secundum operationem. — Circa formalem sanctitatis collationem quidam sententiam affirmantem sustinent — Quaestionis solutio praecipue ex conceptu sanctitatis pendet — etenim cum sanctitas formaliter in operatione consistat, gratia unionis nonnisi exigitive sanctitatem confert — tamen, sumendo sanctitatem latiore quadam significatione, formaliter sancta dici potest humanitas Christi per gratiam unionis — ratione sc. specialis dedicationis, perfectionis ac dignitatis p. 183.

A) **Humanitas Christi sancta est ob unionem hypostaticam.**

a) *quoad animam:* — Testimonium Damasceni, Nazianzeni, Cyrilli Alexandrini, Augustini p. 184.

41. — *b*) *quoad ipsam carnem Christi.* — Testimonium Suarezii — Haec sanctitas prima habetur per substantialem unionem cum Deo — estque infinita ratione termini qui Deus est et rat. modi quo divinum esse communicatur — si vero consideretur in humanitate, est infinita quatenus ipsa Deitas se habet ad instar causae formalis: finita vero si spectetur in humanitate ut effectus inde resultans p. 185.

PAG.

42. B) **Gratia unionis necessario postulat gratiam habitualem, per quam intellectualis creatura Deo secundum operationem coniungitur.**

Ratio est quia unio hypostatica attingit esse, non naturam — natura autem est principium remotum operationum quae supposito tribuuntur non ratione dignitatis sed vere atque entitative — Suppositum divinum habet operationes utriusque naturae : unio autem non ponit *immediate et per se* in actibus humanis modum convenientem ipsi supposito, sed solam exigentiam huiusmodi. — *Aliquo pacto* tamen haec unio formalem sanctitatem constituit — nam per eam quodammodo habentur omnes sanctitatis partes sc. : puritas a peccato — firmitas in bono — adhaesio Deo — eiusque dilectio. — Confirmatur thesis ex consensu theologorum p. 186.

43. — **Obiectiones solvuntur** — *a*) sanctificatio et unctio in ll. Scripturae allatis synonima sunt — *b*) neque ea loca sunt exclusive causaliter exponenda — *c*) aliaeque interpretationes illorum textuum non infirmant nostram, quia exclusivae non sunt — *d*) Divinitas non potest infinitam sanctitatem conferre humanitati intrinsece et ut formam inhaerentem ; bene autem potest extrinsece et ut formam denominantem — *e*) paritas vero cum sapientia non adest cum haec intrinsecam informationem omnino postulet — *f*) sanctitas vero quae est secundum esse et quae in quadam consecratione sita est, non exigit formam aut entitatem absolutam : sed relationem comitantem, id quod ita sancta est — *g*) si Verbum assumpsisset humanitatem pure naturalem, huic humanitati non inesset quidem maior perfectio ut qualitas permanens : tamen necessario dependeret in operatione a potiori voluntate Verbi assumentis p. 188.

2) De gratia singulari et de gratia capitis . . . 189-206

44. A) — **De exsistentia gratiae habitualis in Christo.**

Gratia habitualis est supernaturalis in sua entitate, comparata ad humanam naturam Verbi — non autem comparata ad conditionem humanae naturae Verbi — nam omnino debetur operatio quae attingat Deum ut est in se, illi naturae quae personaliter Deo unita est. — Metaphysice fieri posset ut solis motionibus transeuntibus et non qualitate per se stabili et infusa, humanitas Christi eve-

PAG.

heretur, licet hoc absonum sit — Gratia habitualis Christi non se habuit ut praeviam dispositionem sed ut proprietatem consequentem relate ad unionem hypostaticam — ratio est quia gratia habitualis qualitas est, quae ideo saltem natura, praesupponit subiectum constitutum — gratia vero unionis ipsum subiectum constituit — Exinde confirmatio ulterior nostrae sententiae circa unitatem actus exsistendi in Christo — Gratia habitualis in Christo fuit ab initio suae originis p. 189.

45. — Partes potentiales gratiae (sc. virtutes, dona, gratiae gratis datae) omnes fuerunt in Christo et quidem formaliter. quae nullam imperfectionem — eminenter, quae aliquam imperfectionem connotant: uti fides, spes, poenitentia etc. — Prophetia etiam formaliter fuit in Christo — non quidem spectando illum secundum internam perfectionem — sed secundum externam manifestationem et conditionem viatoris, a quo sc. remota erant quae enunciabat p. 190.

46. — Affirmatio exsistentiae gratiae habitualis in Christo est theologice certa — suadeturque haec veritas ex variis Scripturae locis — ex nonnullis Patrum interpretationibus p. 191.

47. B) — **De perfectione gratiae singularis in Christo** — Haec dimetienda est ex unione humanitatis ad Verbum — et ex eo quod Christus, *ut homo,* constitutus est causa universalis sanctificationis nostrae. — Omnes in hoc conveniunt quod gratia habitualis Christi est maior omnibus gratiis Sanctorum — in summo est posita in praesenti ordine Providentiae ut causa omnium bonorum supernaturalium singulis iustis totique Ecclesiae collatorum. — Contrarium sentire non esset sani theologi. — Sola unio hypostatica, absolute loquendo, affert quidem Christo dignitatem infinitam ad salutem omnium obtinendam — At per eam solam non servaretur proportio inter gratiam quae infunditur ceteris ad operandum, et illam qua exornari debuisset humanitas Christi ad eumdem finem p. 192.

48. — Haec autem gratia non est infinita in ratione entis — neque ita infinita ut divina omnipotentia non posset maiorem producere — sed est infinita comparative ad gratias aliorum SS. quatenus sc. anima Christi per gratiam: — *a*) ordinatur ad unionem personalem cum Verbo — *b*) constituitur causa universalis sanctificationis omnium —

PAG.

c) ea fuit ab initio quae non posset augeri — *d*) nulloque augmento gratiarum in aliquo Sancto potest attingi p. 194.

49. — Prima ratio potissima et intrinseca desumitur ex propinquitate animae Christi ad Deum, fontem totius sanctitatis — mensura enim gratiae pensatur ex maiori minorive ad Deum propinquitate. - Simpliciter tamen, ex infinitate gratiae unionis non est deducendum infinitam esse gratiam habitualem, sed solum aliquid infinitum, quoad eius fieri potest, in ipsam gratiam infusam derivari p. 195.

50. — Altera ratio desumitur ex eo quod Christus est veluti causa universalis sanctificationis hominum — utique causa instrumentalis — sed substantialiter primo Agenti coniuncta — cuius proinde actio Verbo directe tribuitur — et quae capax est eiusdem perfectionis quam producit in aliis. — Dignitas infinita Verbi tribuit quidem per se infinitam virtutem actibus humanitatis — non tamen satis est ad plenitudinem influxus quam Christo ut homini tribui debet in ordine ad gratiam p. 195.

51. — Tertia et quarta ratio sunt impossibilitas augmenti et impossibilitas adaequationis ex parte cuiusvis creaturae. — Prior non est desumenda tam ex parte subiecti, quam, et potissimum, ex parte ipsius formae. - Rursus gratiam Christi nullo pacto attingi posse, non est tantum extrinsece derivandum ex parte divinae praedestinationis, sed etiam ex specifica diversitate gratiae Christi et aliorum p. 197.

52. — Nulla est ratio qua cogamur asserere unius eiusdemque rationis specificae esse gratiam Christi et aliorum — aliud enim est quod in rationibus abstractis intellectus noster nonnisi accidentales differentias detegat, aliud quod ita res se habeant a parte rei — Exempla patent in rationibus genericis vegetativae et animalis vitae — idemque proportionaliter affirmandum est de naturis spiritualibus — multoque magis quia opera Dei divinaque virtus ita extenduntur, ut nedum numero et gradu, sed et specie et genere et ordine nova semper fieri possint p. 199.

53. — Hoc posito, liquet posse aliquam perfectionem creatam habere, comparate ad perfectiones alicuius ordinis, veri nominis infinitatem, — Exemplum patens habetur in intellectu humano relate ad instinctus brutorum — in intellectu angelico respectu intellectus humani — quare

PAG.

nulla est ratio id negandi de gratia Christi relative ad gratias Sanctorum p. 201.

54. — Confirmantur haec ex doctrina S. Th. expresse aientis finitum aliquod posse per continuum augmentum attingere ad quantuncumque finitum, si in utroque accipiatur eadem quantitatis ratio ; minime vero si haec ratio diversa est p. 202.

55. — **Difficultates enodantur** : — *a*) S. Th. dicens gratiam Christi pertingere ad summam mensuram gratiae non intelligit hoc absolute sed relative ad gratiam Sanctorum — *b*) Doctrina tradita non destruit vitae unitatem in capite et in membris quae unitas non participatur eodem modo a variis membris — *c*) Caritas et gratia a qua consequitur, indefinite possunt augeri servando suum modum, non vero hunc mutando — Ratio cur praesens sententia de gratia Christi aliis praeferatur p. 204.

V. — DE SCIENTIA CHRISTI

p. 207-220.

56. — Exsistentia scientiae creatae in Christo, pertinet ad fidem — Quoad eius perfectionem, non extat solemnis definitio ; — damnatae tamen sunt in decr. Lamentabili sententiae illam negantes — Ceterum consensus theologorum hac in re magni est faciendus p. 207.

57. — 1) **Fuit in Christi anima visio beatifica** — est hoc theologice certum — quamquam Scripturae textus qui afferuntur ad illam probandam non sunt omni ex parte cogentes — tamen adest consensus Patrum talem scientiam admittentium : *a*) *implicite :* in affirmatione omnimodae perfectionis sapientiae Christi ab initio vitae suae una cum negatione cuiuslibet interioris profectus — testimonia Nazianzeni, Damasceni, aliorumque — imo interpretationes eorum quandoque a longe petitae, idem demonstrant — *b*) *explicite* vero hoc dicunt Augustinus, Fulgentius. — Rationes intrinsecae sunt filiatio naturalis, et ius indefectibile, et proportio operationis cum esse — Amplitudo huius scientiae sese extendit ad omnia quae Deus cognoscit scientia visionis p. 208.

58. — 2) **De scientia infusa** — ea ponenda est in anima Christi, non quidem propter necessitatem desumptam ex

PAG.

parte obiecti cognoscendi — sed ex conditione animae independenter a sensibus operantis p. 211.

59. — 3) **De scientia acquisita** — asserenda est in Christo ratione eius operationis sensitivae partis et facultatis abstractivae quae in eo non defuit — in hac scientia proficiebat — atque ex hac repetendae sunt interrogationes, admirationes, ceterique animi motus qui sensibilem commotionem implicant p. 212.

60. — **Solvuntur difficultates** — *a*) deductae ex iis Scripturae locis qui videntur Christo denegare scientiam beatam: hi ad externam manifestationem referendi sunt — *b*) Christus ex conditione naturae suae debebat scientiam comprehensorum habere: non enim potuit eam ex merito acquirere — *c*) scientia animae Christi non aequiparatur scientiae Dei nisi secundum quid — *d*) neque potest dici infinita nisi secundum quid — *e*) neque ad hoc infinita virtus requiritur cum ratio plura vel pauciora obiecta cognoscendi non se teneat ex parte speciei, sed potius ex proportione obiectorum ad species — *f*) non tamen sequitur ex hoc animam Christi omnia possibilia cognovisse cum ad hoc, exhaurienda esset infinita virtus Dei: quod nonnisi infinitus intellectus praestare potest — *g*) neque ut cognoscantur omnia possibilia dici potest non requiri virtutem infinitam, etsi possit concedi quod ad hanc cognitionem forte non esse necessarium ut omni ex parte adaequetur divina cognitio, etc. p. 213.

61. — 4) **De compositione gaudii consequentis visionem beatificam cum dolore passionis.** — Animadversio praevia — Prima solutio negat visionem Dei vel saltem gaudium ex illa fluens, pro tempore passionis — altera, dolorem ponens tantum in facultatibus inferioribus, damnata est — dolor fuit certe in parte intellectiva Christi — eumque bene componi cum visione beatifica ostenditur p. 216.

62. — 5) **De scientiae infusae compositione cum scientia beata.** — 1) Scientia infusa non ponitur ratione alicuius obiecti cognoscendi quod in scientia beata non videatur — sed ratione intellectus possibilis Christi qui, ut perfectissimus, speciebus inditis actuari debebat. — 2) Scientia infusa optime inveniri potest una cum beata quia per hanc intellectus nulla specie impressa actuatur — porro repugnat quidem idem subiectum simul duabus formis im-

mediate actuari — minime vero duplicem simul actualitatem habere. — Non potuit tamen ad actum intelligendi venire simul species infusa et species acquisita — licet celerrime de una ad aliam mens transire potuerit p. 218.

VI. — DE CHRISTI IMPECCABILITATE

p. 221-232.

63. — Quare error magis arcendus sit a Christo quam ignorantia — absolute vero peccatum quodvis in Christo negari debet p. 221.

64. — De fide est in Christo non fuisse peccatum — sive originale sive actuale. — Testimonia Scripturae afferuntur p. 221.

65. — 1) **Ostenditur repugnantia peccati in Christo**, contra Durandum — *a*) *testimoniis PP.* reputantium impeccantiam Christi ex necessaria sanctitate personae — idque similitudinibus nonnullis declarantium p. 222.

66. — *b*) *ex ratione theologica* desumpta: — 1) ex unione hypostatica — 2) ex communicatione idiomatum — 3) ex regimine divinitatis sub quo humanitas Christi operabatur p. 225.

67. — Sententia Angelici — cur in Summa non agit de impeccabilitate sed solum de impeccantia Christi — de priori tractat in Comm. ad Sentent. p. 227.

68. — Voluntas humana Christi sub regimine Verbi se habet ad peccatum, sicut se haberet ad errorem scriptor inspiratus in sensu composito cum divina inspiratione p. 228.

Solvuntur obiectiones. — Refellitur Durandus. — *a*) Laus est pro homine, non pro Deo, repellere peccatum quod possit admitti — *b*) angelus (in hypothesi absurda quod assumpsisset humanitatem), teneretur omnem deordinationem in eadem impedire, sed non posset sibi subiicere illius voluntatem — *c*) actus aliorum hominum non tribuuntur Deo sicut actus humanitatis Christi — *d*) si Deus assumpsisset peccatorem, ipsa assumptione amplius non esset qui fuit antea peccator — Voluntas libera redditur quidem impeccabilis ipsa visione beatifica — attamen hac quoque remota, idem infallibiliter obtineretur per motiones divinas p. 229.

PAG.

69. — 2) **De libertate Christi in subeunda morte crucis.** — Praeceptum Christo datum, non est univoce concipiendum cum nostris — nobis enim praecepta dantur sub interminatione abruptae amicitiae divinae: quod in Christo locum habere non poterat — Illi autem impositum est ut conditio redimendi genus humanum et glorificandi corpus suum. — Libere tamen Iesus negotium nostrae salutis in se suscepit — Quare opus humanae salutis contingens dici debet, quatenus Deus voluit ut per voluntatem liberam fieret — non vero quasi ipsum opus divinum potuisset deficere — Opus redemptionis ex tribus voluntatibus dependere voluit Deus: ex sua, ex Iesu Christi, ex B. V. p. 230.

VII. — DE CHRISTO REDEMPTORE

p. 233 279.

70-71. — Deliramenta modernistarum negantium hanc veritatem — quae demonstratur: 1°) ex Scriptura — 2°) ex disertis affirmationibus PP. tum aevi apostolici, tum posterioris aetatis — quo manifestum fit dogma hoc non paulatim confictum, sed ab exordiis traditum fuisse p. 233.

72. — Proponuntur quaedam quaestiunculae ad redemptionem pertinentes, et **primo**: *An fieri potuerit ut humanum genus post Adae peccatum Deus relinqueret in sua damnatione, nullo allato remedio.* — Distincta duplici problematis intellectione sc.: — 1) de constitutione in materiali conditione purae naturae — 2) de mansione in privatione et peccato sine ullo auxilio sive supernaturali sive ex iis quae in statu naturae purae concessa fuissent — resolvitur quaestio negative sub hoc altero respectu, cum hoc non videatur posse componi cum divina bonitate — quaestioni sub priori forma propositae affirmative respondetur — cuius ratio est quia per peccatum originale id solum amissum est quod fuerat naturae superadditum — Quare sententia S. Anselmi omnimodam reparationis necessitatem urgentis minus recta videtur — quamvis concedendum sit convenientissimam fuisse reparationem: — 1) ne pessumdaretur universum opus Dei — 2) ut hominis debilitati consuleretur — 3) ne unius culpa omnes perirent p. 236.

PAG.

73. — **Secundo**: *Utrum potuisset Deus peccatum dimittere ex pura misericordia, quin ullam satisfactionem, vel quin sufficientem exigeret.* — Contra quosdam negantes, stat fere omnium Patrum affirmantium sententia — imo inter eos qui negant quidam sunt, qui non absolute, sed hypothetice loquuntur p. 237.

74. — **Tertio**: *Utrum aliter quam per Deum incarnatum iustitiae post peccatum satis fieri potuisset.* — Responsio est negativa — quamvis concedendum sit non alio modo rationes iustitiae simul et misericordiae tam plene servari potuisse p. 238.

75. — **Quarto**: *Utrum, si Adam non peccasset, Verbum esset venturum.* — Pars negativa praefertur — Advertendo argumenta omnia quae sive ex pulchritudine, sive ex perfectione Incarnationis proficiscuntur ut affirmative quaestionem resolvant, falso supposito laborare — similiter ut Infinitatis divinae manifestatio obtineatur nulla necessitas est Incarnationis, cum minimi entis creatio infinitam Dei virtutem ostendat — Nota circa responsionem S. Th. ad difficultatem in h. l. p. 238.

76-78. — **Quinto**: *Utrum exclusive sit tenendum,* quod utique affirmat fides, *in remedium peccati Verbum advenisse, vel potius futurum fuisse hoc maximum opus Dei, etiamsi homines non peccassent.* — Prima sententia affirmat Incarnationem fuisse in prima Dei intentione qua universum condidit, ita ut antecedenter ad omne peccatum, omnia referrentur unice ad Christum ut ad caput et ad regem et ad causam omnium bonorum — Altera sententia verius negat tum ob auctoritatem Scripturae quae unicam causam Incarnationis remedium peccati ostendit — tum ob falsum suppositum quo omnia adversariorum argumenta laborant. — Solvitur difficultas desumpta ex praedestinatione, advertendo praedestinationem prout dicit decretum efficax salutis eorum qui de facto salvantur, nullam fuisse antecedenter ad Adae peccatum — sed solum fuisse in Deo voluntatem antecedentem et universalem perducendi homines ad vitam aeternam. — Reliquis obiectionibus fit satis p. 239.

1. — **De data a Christo satisfactione** 246-266

A) Christus pro hominibus satisfecit 246-260

79. — Nullus homo poterat pro peccato satisfacere cum mensura honoris accipi debeat ex parte honorantis —

PAG.

cuius dignitas in casu nostro nulla est relate ad Deum. — Volens tamen Deus integram pro peccato satisfactionem, Filii Incarnationem decrevit — qua posita, ex infinita dignitate Personae in humana natura subsistente, et satisfactio Deo et gratia nobis reddita est p. 246.

80. — Satisfactionis opus dictum est quoque redemptio — quatenus scilicet ob Christi merita a servitute diaboli liberati sumus. — Pretium tamen redemptionis, non satanae, ut *quidam* (non: omnes, uti contendit Harnack) ex vetustioribus autumarunt, solutum est, sed Deo p. 247.

81-83. — Solvuntur difficultates quae moventur: — *a*) contra factum satisfactionis Christi — *b*) contra infinitatem eiusdem p. 248.

84. — Satisfactio Christi non fuit tamen ex stricto rigore iustitiae commutativae — etenim ad strictum ius mutui debiti praeter aequalitatem inter meritum et mercedem seu inter satisfactionem et offensam, requiritur quoque independentia mutua utriusque partis in ipso iure secundum quod iustitia exercetur p. 255.

85. — Brevis anacephaleosis praecedentis doctrinae — Christus iisdem actibus et passionibus quibus pro peccato satisfecit, meruit quoque nobis gratiam — Discrimen inter satisfactionem et meritum: — illa respicit iniuriam vel culpam compensandam — hoc praemium debitum. — Tria ad veri nominis meritum habendum requiruntur: — *a*) libertas — β) proportio inter actus quibus habetur meritum et finem obtinendum — γ) positiva ordinatio ad finem. — Haec tria in Christi actibus inveniuntur. — Error protestantium negantium necessitatem nostrae cooperationis ut salutem aeternam consequamur — Error Socini opus redemptionis in miro exemplo ad virtutem prosequendam reponentis p. 257

B) **Christus, sua morte, pro omnibus satisfecit** 260-266

86. — Asseritur sc. sufficientia: non vero efficacia p. 260.

87. — Distinctio voluntatis divinae in antecedentem et consequentem eo redit ut prior obiectum respiciat absolute; altera, cum omnibus circumstantiis quibus ipsum vestitur. — Prior voluntas est inefficax, secundum quid, et conditionata — altera est efficax, simpliciter et absoluta — tamen voluntas consequens non aeque patet ac absoluta: cum voluntas consequens *ea tantum* dicatur quae *in volito* opponitur antecedente. — Opinio S. Augustini.

PAG.

— Deus vult omnes homines salvos fieri voluntate quidem antecedente et conditionata — non vero voluntate consequente et absoluta p. 261.

88. — **Probatur** — 1°) ex diserta doctrina S. Pauli — 2°) ex variis Ecclesiae definitionibus — 3°) ex immensa Dei caritate p. 263.

89. — Diluitur obiectio desumpta ex oratione Christi — advertendo Christum orasse, sicut et mortuus est pro omnibus quoad sufficientiam — at voluntate absoluta et efficaci nonnisi pro iis quos secundum ordinem spectatae sibi paternae Voluntatis praedestinatos cognoverat p. 264.

II. — **De praedestinatione** 266-279

90. — Praedestinatio est ea pars providentiae quae respicit salutem a determinatis hominibus obtinendam — unde praeter constitutionem ipsus subiecti et externas circumstantias omnes quibus fit ut ille homo media salutis habeat, complectitur praesertim gratias supernaturales a prima vocatione ad ultimam, qua perseverantia finalis obtinetur — Sicut providentia, ita praedestinatio, nil ponit in praedestinato, sed primo et formaliter est in intellectu — non tantum speculativo, sed practico p. 266.

91. — Praedestinatio potest accipi adaequate pro divina ordinatione homines ducente per gratiam ad gloriam: quo sensu respondet perfecte iis quae habentur Rom. 8, 30 — vel inadaequate, et hoc vel diminute pro simplici vocatione ad fidem vel ad primam iustificationem: quo sensu sumitur Act. 13, 48; 1 Thes. 1, 4; 1 Pet. 1, 10 — vel partialiter pro collatione gloriae seorsim accepta ab universa praeparatione — Iuxta tamen communiorem usum loquendi Scripturae, et intellectionem antiquorum magistrorum, praedestinationis nomen ad praedestinationem adaequate inspectam significandam adhibetur p. 267.

92. — Praedestinationis nomen quandoque adhibitum fuit in ordine ad poenas aeternas quibus plectuntur qui sine gratia decedunt — exempla afferuntur ex Conc. Carisiaco et Valentino. — Ea tamen Providentiae pars quae respicit illos qui decedunt ab aeterna salute vocatur *reprobatio*. — Haec nulla positivam voluntatem quae respiciat praeparationem ad mortem in Deo ponit — sed solum voluntatem mere permissivam ipsius culpae — tametsi includat ulterius voluntatem puniendi ratione culpae usque ad mortem praevisae p. 269.

PAG.

93. — **Praedestinationem indistinctam, vel ut completam, admittendam esse, de fide est.** — Liquet hoc: 1°) ex diserto testimonio S. Pauli — 2°) ex Tr. — 3° ex constante traditione PP. — 4°) ex eo quod in Deo est praescientia futurorum et voluntas faciendi quae Ipse facturus est — 5°) ex universalitate providentiae divinae atque ex peculiari ratione qua Deum homini providet p. 270.

94. — **Contingens est materialis praedestinationis exequutio in Deo certissima et infallibilis est.** — Prima pars patet ex eo quod materialis exequutio non est nisi ipse ordo eventuum in subiecto praedestinato, conformis ordini in mente divina praeexistenti: porro illi eventus contingentes sunt prorsus — Altera pars ex eo deducitur quod certissime et infallibiliter eventurum est quidquid a Deo est volitum voluntate absoluta et consequente. — Quare in sensu composito cum data alicuius praedestinatione, necessaria est eiusdem salus — non quidem necessitate entis, sed necessitate dicti p. 271.

95. — Praedestinatio omnino gratuita est, atque ex eo quod Deus quosdam efficaciter a communi damnatione liberare voluerit, quosdam vero nequaquam — nec potest dici iniustus, cum nihil ulli Ipse debeat — nec acceptor personarum, cum non sit quaestio de munere ad quod quis idoneus censeatur; quandoquidem de ipso ordine statuendo agitur, quo iam ab initio prima dispositio obtinetur, nullo praesupposito. — Similiter cum nulla sit proportio inter ordinem naturalem et supernaturalem, nihil faciunt naturales virtutes ad hoc ut Deus efficaciter ad fidem et gratiam advocet — sed talis vocatio et iustificatio omnino ex gratuita Dei voluntate procedunt p. 272.

96. — Statuuntur quaedam corollaria: — *a*) praedestinatio, formaliter inspecta, est omnino gratuita — *b*) idemque dicatur de praedestinatione ad primam gratiam — *c*) post primam gratiam, ulteriores gratiae cum iustificationis augmento, obiectum sunt meriti: attamen gratia ut formaliter efficax, liberum Dei beneficium est — *d*) consequenter ad mortem in statu gratiae, gloria datur ut corona iustitiae — *e*) reprobatio non est a Deo operante sed solum permittente, nec accipienda est ut positivum damnationis decretum ante praevisum peccatum p. 274.

97. — **Scholion de praedestinatione ante vel post praevisa merita.** — Quaestio haec locum invenit inter illos

PAG.

qui praedestinationem inadaequate spectant, in ordine sc. ad gloriam. — Qui praedeterminationem physicam tuentur, absque haesitatione affirmant unumquemque salvandum a Deo prius electum esse, deinde per singulas gratias ad finem deduci: — difficultas tamen ingens est in reprobatione positiva quae licet verbis negetur, de facto tamen logice ex eorum positione deducenda videtur — Qui vero praedestinationem post praevisa merita defendunt, aiunt eundem esse ordinem intentionis et exequutionis — atque adeo, sicut gloria de facto non conceditur nisi propter merita, ita Deus absolute non intendit eam concedere nisi post praevisa merita. — Qua in sententia, licet omnia aptata sint humano captui, minus videntur congruere modo agendi Dei. — Quare melius dicendum videtur non esse seiungendam intentionem gloriae alicui conferendae ad quam ut media gratiae praeparentur — sed spectandam esse divinam Providentiam quae hunc rerum ordinem totum simul cognoscit, elegit, decernit existere — in quo dantur omnibus media salutis, quibus quidam recte utentes ad vitam ducuntur, atque hi a Deo intenduntur — ceteri vero eadem media irrita facientes, damnantur; eorumque perditio aliquid permissum est, ut conditio bonorum ad hunc ordinem spectantium, quem Deus esse voluit p. 276.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1749.T25M27 C001
IN TRACTATUM DE VERBO INCARNATO ROMAE
3 0311 00042 2167

WITHDRAWN

BX
1749 32765
.T5M27 Mattiussi, Guido
AUTHOR
IN TRACTATUM DE VERBO
TITLE INCARNATO.
BORROWER'S NAME